

B. N. II, 122.

h. 29, 19.

Q. B. V.
DISSERTATIO
DE

II R
1784

COMITIIS IMPE-
RII ROMANO-GER-
MANICI.

QVAM

SUB PRAESIDIO

AMPLISSIMI ATQVE CLARISSIMI
VIRI

DN. HERMANNI CONRINGII
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DO-
CTORIS AC PROFESSORIS
CELEBERRIMI &c. &c.
PATRONI AC PRÆCEPTORIS SVI
PL. HONORANDI


Publicae disquisitioni

ad d. ix. Maji

subjiciet

ARNOLDVS HENRICVS Engelbrecht

Auct. & Resp.



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.
ANNO MDCLXVI.

1.6.C.1.



SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DOMINI
JOHANNIS FRIDERICI
DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LV-
NEBVRGENSIVM, DOMINI SVI
CLEMENTISSIMI
CONSILIARIO INTIMO ET CANCELLARIO
ILLVSTRI VIRO

DN. HENRICO LANGENBECK

¶ Cro &c.

DOMINO AC PATRONO SVMME
HONORANDO

ISTAS DE COMITIIS IMPERII ROM-GERM,

A SE CONSCRIPTAS THESES

TESTANDÆ DEBITÆ OBSERVANTIÆ ERGO

SVBMISSE

BIBLIOTHECA
PONTICKAVIANA

OFFERT ET DEDICAT

ARNOLDVS HENRICVS Engelbrecht.









CVM DEO
DISSERTATIONIS
DE
COMITIIS IMPERII ROMANO-
GERMANICI
THESIS I.

Circumspicienti quid cum primis hominum societates conservet, fit manifestum, amicitiam & concordiam efficere, ut non tantum privatorum congressiones querelis sint vacuæ, sed etiam integræ respUBLICÆ secundo vitæ cursu perfruantur, contraque omnes improborum insultus firmæ persistant ac immotæ. *Videtur amicitia, inquit Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 1. civitates continere: majorique quam justitia laboribus legum curæ esse. Nam & concordiam, quæ amicitia simillima ac genuina est, summopere expetunt, & seditionem ei inimicam omni studio ejiciunt atq; exterminant.* E contrario nulla capitalior pestis ad subvertendas respUBLICAS excogitari potest quàm civilis discordia & inimicitia. Quando enim internis motibus concutiuntur, iique nulla ratione possunt componi, sæpius fieri videas, ut exterorum auxilia implorentur: quæ quamprimum adsunt RespUBLICA tam ab interno quam externo hoste affligitur, & quamdiu his fluctibus jactatur ne momentum

A

mentum

mentum quidem ab interitu libera esse potest. Christ. Forst-
ner. in Not. ad lib. 6. Annal. Corn. Tacit. p. 725. 726. & seq. Quod
sane optime perspectum habuit Carolus IV Imperator, dum
statim in proæmio Aurea Bulla sequentia aureis literis digna
verba summo cum fervore posuit. *Omne Regnum in seipsum
divisum desolabitur: nam Principes ejus, facti sunt socii furum, ob
quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, ut pal-
pent in meridie sicut in tenebris, & candelabra eorum movit de lo-
co suo, ut cæci sint & duces cæcorum: & qui ambulant in tene-
bris, offendunt, & cæci mente scelera perpetrant, quæ in divisio-
nem contingunt &c.*

II.

Igitur non est quod ulla Respublica sibi tranquillita-
tem promittat, nisi cives omnia juribus amicitiae metian-
tur. Quod sane meliori ratione ab illis haut posse disci ar-
bitror, quam si crebro conveniant, atque de iis quæ ad sa-
lutem reipublicæ pertinent conjunctis viribus deli-
berent. Hoc est quod sapientissimus Legislator De-
us O. M. in sua Republica condenda observavit. Voluit
enim, ut Moyses sæpius per tubæ sonitum populum Israë-
lit. cum convocaret, & cum eo de maximis negotiis a-
geret. Eadem de causa uti apud alias gentes, ita etiam
nostros Germanos, senatum generalem omnium Im-
perii Ordinum convocari, ab antiquissimis temporibus
fuit receptum; in quo Imperator de illis omnibus
quæ ad communem civium salutem ac totius Imperii uti-
litatem spectant, informari solet.

III.

Quamvis autem hoc ipsum in nostro & multis aliis
rebus publicis ab antiquissima retro memoriâ obtinuerit;
tamen hodierna experientia testatur, multos dari populos,
apud quos ejusmodi conventus publici plane non sunt in
usu.

usu. Ne itaque hujus rei causa ignoretur, mihi incumbere existimo, ut rem ex principiis deducam, verumque Comitiorum fundamentum pro modulo ingenii exponam. Initio itaque ex Aristotelis *lib. VIII. Ethic. cap. 7.* ponendum est: amicitiam quam antea respublicas continere diximus esse duplicem, æqualium & inæqualium. Etsi enim omnis amicitia in æqualitate consistere dicitur, tamen ratione personarum quàm rectissime ita dividi potest. Amicitia æqualium seu ἐν ἰσότητι est benevolentia mutua non latens ob amabile quoddam, qua se æquales dignitate moribus & ætate complectuntur. Amicitia inæqualium seu κατ' ἰσχυρῶν est benevolentia mutua non latens, quâ se inæquales bonis fortunæ, dignitate, potentia & virtute complectuntur. Ita inter patrem & filium, inter senioem & juniorem, Principem inter & subditos est amicitia: quorum tamen unum altero usquequaque præstantiorem esse nemo negabit. Quoniam autem secundum eundem Aristotelem *lib. 8. Ethic. c. 8.* in quolibet amicitia genere æqualitas & similitudo utramque facit paginam, hoc principii loco ponimus: quò major est æqualitas in amicitia eò etiam major bonorum communio, & quò major est inæqualitas eò minor bonorum communio. Nam à gradibus amicitia dependent gradus communionis bonorum, & vice versa à gradibus communionis bonorum dependent gradus amicitia. Hæc si velimus ad amicitiam civilem applicare, prius nobis explicandum erit, quid veniat nomine bonorum civilium, de quibus alicujus reipublicæ membra vi generalis illius amicitia participare debent. Cum primis autem bona hæc civilia consistunt in tribus illis quæ Aristoteles *lib. 4. Politic. cap. 14.* cujuslibet reipubl. partes constituit. Prima est τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, pars quæ definit ea quæ summam reipubl. concernunt: altera τὸ περὶ τὰς

ταῖς δεχαῖς quæ circa magistratus versatur: tertia τὸ δικάζον
pars judiciaria. Iam absque ulla difficultate principium an-
tea allatum ad usum hoc modo transferre licebit. Quò
major est civium in aliqua republica æqualitas, eò major
quoque erit bonorum civilium communio, & quò major
est inæqualitas eo minor erit bonorum civilium jam re-
censitorum communio. Inter hæc bona quàm maxime
eminet primum: estque revera ipsa summa potestas quæ a-
lias *κυεῖα δεχὴ, δύναμις καὶ δεχὴ πολιτικὴ, ἀνεξέσσια* docente
Bodino *lib. 1. de rep. c. 8.* Græcis nuncupatur. Prout ergo
cives ratione æqualitatis vel inæqualitatis differunt, ita in
hac vel illa republica major vel minor hujus etiam boni ci-
vilis cernitur communio.

IV.

His fundamentis præsuppositis facile patet, quænam
respublicæ Comitiam admittant, quænam respuant. In illo
enim statu ubi omnes aliquid de summa reipubl. partici-
pant quin conventus publici obtineant dubitatione haut
eget. Quia enim inter illas maxima est similitudo, sequi-
tur quod non minor inter eos amicitia intercedat, nec mi-
nor etiam bonorum civilium communio. Hac de causa in
plerisque Græciæ rebus publicis penes concionem, hoc est
βῆλῳ ex omni populo pro civium magnitudine collectam,
summa de omnibus vel majoribus ad Rempublicam per-
tinentibus rebus deliberandi & decernendi fuit auctori-
tas: Plutarchas *in Solone*. Simili modo ex illa republica in
quâ τὸ κῦρον est penes paucos, eosque vel virtuosos vel nobi-
les vel divites Comitiam quævis neutiquã sunt tollenda. Quo-
niam enim inter illos non est magna inæqualitas, jus illius
amicitiæ requirere videtur, ut ad deliberationes publicas
admittantur. Exemplo sit respublica Veneta; in qua sum-
ma potestas est penes solos nobiles, qui in Concilio ma-
gno ut

gno, ut vocatur, omnes & singuli ferunt suffragia de illis
quæ reipubl. emolumentum concernunt: uti docuit Am-
pliss. Dn. Præses *in dissertationibus de precipuis universi orbis*
Rebuspubl. In ea autem forma regiminis in qua unus sum-
ma majestate pollet nulla Comitiam celebrantur. Quia
enim unus ille præstantissima virtute vel magna potentia
reliquos antecellit, hoc bono civili solus vult esse instru-
ctus. Reperiuntur quidem regna in quibus Comitiam ha-
beri videas, sed in multis non nisi consilii causa aut etiam
dicis gratia hoc fieri solet. Sicuti enim haut raro accidit,
ut, quando rerum publicarum formæ convertuntur, ob-
vitandam invidiam umbra saltem relinquatur & simula-
crum ejus quod adimitur; Ita quoque regna ex Democra-
tiis & Oligarchiis orta permittunt comitia, quæ tamen
nullius sunt auctoritatis. Tale quid Romanæ Reipu-
blicæ contigit, cum abrogato statu Democratico iterum
ad unum summa rerum pervenisset. Conveniebat mul-
titude ad publicas deliberationes, uti constat ex Suetonio
quando de Augusto p. 103. ita refert: *Comitiorum quoque*
pristinum jus reduxit ac multiplici pæna coërcito ambitu, & Sca-
ptensibus tribulibus suis die Comitiorum, ne quid à quoquam Candi-
dato desiderarent, singula millia nummum à se dividebat. Atta-
men specioso ac plausibili libertatis nomine relicto omnia
ad nutum Principis agebantur. Christoph. Forstner. *in*
Not. ad Taciti lib. 1. Annal. p. 22. Talia fere sunt Comitiam
Regni Galliæ; in quibus Regi quidvis pro lubitu statu-
endi est potestas. Olim quidem in majori fuerunt digni-
tate, sed à temporibus Ludovici XI decrevit sensim ma-
gis magisque Ordinum potestas, atque exinde rarissima
in Gallia Comitiam fuerunt. Vid. Hotomanni *FrancoGal-*
liam c. 27.

Sic igitur manifestò liquet regna absoluta quæ Aristoteli *πεντασικα* dicuntur, Comitata plane averfari. Quando verò regia potestas vel cum paucis, vel cum toto populo communicatur tum res paulo aliter se habet. Si regius status mistus est cum forma populari, populus multum valet. Testatur hoc Regnum Sueciæ in quo ad morem veteris Reipublicæ Germanicæ etiam agricolæ conveniunt, & de summis negotiis deliberant. Quando regnum mistum est cum Aristocratia, ibi Optimates multum possunt. Hoc nostra Respubl. Romano-Germanica confirmat; in qua summa potestas sic est divisa ut Ordines una cum Imperatore de iis quæ ad τὸ κύριον pertinent, non ut magistratus sed ut partes principales publici regiminis deliberent: sicuti hoc expressè asseritur *In der Ordnung des Regiments Anno 1500. Tit. von den zwanzigen. In R. I. de Anno 1559 §. Damit dan hinfüro. R. I. de Anno 1570, §. weiters nachdem auch.*

His præmissis jam ratio ordinis postulat ut sine ulteriori mora nostram tractationem aggrediamur. Quæ tanè commodè institui haut poterit, nisi prius exponamus, quâ methodo in hoc argumento versari velimus, nec non Comitiorum definitionem eorundemque divisionem in medium afferamus. De methodo non est quod multum sumus solliciti cum Ampliff. Dn. Præses in *libro de civili prudentia cap. 10.* plenâ manu persequatur omnia quæ illi attendenda sunt cui tractationem politicam instituere consilium est. Quamobrem secuti illum, primò agemus de Comitiorum causa efficiente. postea de causa materiali; deinde ea quoque persequemur, quæ causæ formalis & causæ finalis contemplatio nobis suppeditabit. Iam ad definitionem. Etsi autem variæ à variis Comitiorum descri-

scriptiones afferri solent, tamen sequemur cum primis
Martin. Rumel. Ille *Diss. 3. part. 2. ad A. B.* ita: *Comitia sunt*
conventus totius corporis Imperii, aut certae partis ad aliquid de-
liberandum decernendumve Reipublicae causa instituti. Ex qua
definitione apparet Comitia Reip. Romano-Germanicae
esse in duplici differentia: nempe alia universalia alia parti-
cularia. Cum enim totum Imperii corpus ad deliberati-
ones, publicas congregatur, Universalia; quando vero
partes ad sciscendum decernendumve aliquid reip. causa
conveniunt Particularia dicuntur celebrari.

VII.

Ordine jam invento statim initium facimus à
causa efficiente, cujus cum non eadem sit ratio, vulgo
in principalem & instrumentalem dividi solet. Prin-
cipalis est à qua maxime actus aliquis aut opus aliquod per-
agitur. Instrumentalis est, qua principalis causa utitur
ad producendum effectum tanquam instrumento. Illam
Caesar & Ordines Imperii in Comitibus constituunt, hanc e-
orundem legati. Haec causa principalis rursus duplici
modo potest considerari. Aut habet jus tantummodo stan-
di in Comitibus, aut praeterea gaudet potestate Imperii Or-
dines convocandi. Illud Caesari & Ordinibus competit,
hoc Caesari, ita tamen ut prius in indictionem consentiant
Electores Imperii. Sane si historiarum monumenta inspi-
cimus, clarescit, veteris aevi Imperatores absque ullius as-
sensu Ordines convocasse. Sic enim Eginhard. *in Vita Ca-*
roli Magni scribit: *Congregatis solemniter de toto regno Franco-*
rum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius Regni &
Imperialis nominis heredem sc. Ludovicum filium constituit. Ma-
nifestius hoc elucet ex Sigefrid. Presbyt. Misnens. *lib. 2. E-*
pitom. Anno 1302. Qui ita ait: *Facta pace inter Regem Roma-*
num Albertum & Archiepiscopos supra dictos, quos idem Rex mul-

zum humiliaverat, statim ipse Rex factò dicto omnibus Principibus præcepit, ut ad curiam suam in festo Sebastiani Martyris Merseburgi celebrandam convenirent. Simile quid in Friderici III. Reformatione Anno 1242 instituta habetur. ibi: Darumb insonderheit her zu uns zukommen geböhren und geheissen haben. Cum autem fuisset observatum, præcos Cæsares non magna sæpe necessitate motos Comitiam indixisse, Electores ex re fore arbitrati sunt, si hanc Imperatoris potestatem nonnihil limitarent. Hac finè à Carolo V. Imperium jam capeffente postularunt, ut ad hanc legem se obstringeret: nulla Comitiam imposteriorum absque Electorum consensu celebratum iri. Cui sanctioni etiam Imperator tum temporis non contradixit, sed se ad illam jurejurandò obligavit. Sleidan. lib. 1. de Statu Religion. Ex hoc tempore Imperatores nulla Comitiam irrequisito Electorum consensu temere indixerunt. Quod nonnullorum Imperii Recessum proœmia satis demonstrant. R. I. de Anno 1576. §. Also haben wir R. I. de Anno 1542. §. darzu haben wir. Quamvis autem consensus Electorum ad Statuum congregationem Cæsari necessariò expectandus sit, tamen non magni est negotii, eundem per literas aut legatos ab unoquoque impetrare. Quin hodie sicubi vident tale negotium instare, quod generalem omnium Ordinum convocationem requirat, Imperatorem ad indicenda Comitiam benevolè adhortari solent. Vti hoc potest colligi ex Recess. Imp. de Anno 1555. §. Und so abermahls Vid. Capitulationem Ferdinandi IV. Artic. 14. Capitulat. Leopoldi I. Artic. 17.

VIII.

Quando itaque summum reip. periculum imminet, aut alia inevitabilis necessitas jubet, ut præsentì malo mutuis consiliis obviam eatur, hætenus reipublicæ satis bene est consultum, si summo capite gaudeat. Ceterùm quando
Impe-

Imperator vel extra fines Germaniæ commoratur, aut
fato functus est, videri posset eo tempore deliberationes
publicas cessare, eo, quod nullus adsit, qui earundem cu-
ra sustineat. Verum & his casibus exsurgentibus no-
stræ Reip. quam prudentissime per leges fundamentales
est prospectum. Quando enim Cæsar decessit, cura Impe-
rij ad Electorem Palatinum & Electorem Saxoniam secun-
dum dispositionum A. B. *Artic. V.* transfertur, atque sic
hi Ordines Imperij convocare nulla ratione impediun-
tur. Si vero Imperator peregrè abest; aut Respublica
habet Regem Romanorum, aut non habet. Illo casu non
est dubitandum eidem jus convocandi Ordines compe-
tere. Hoc casu potestas illa ad binos Electores iterum
devolvitur. Quamvis enim *Tit. V. A. B.* absentiam Impe-
ratoris expressam non faciat mentionem, tamen optima
ratione ad hunc casum extendi posse existimant Buxtorf-
fius *ad d. r. A. B. Martin. Rumelin. Dissert. IV. part. 1. ad*
A. B. Et in Palatino quidem res facilior est propter privi-
legium à pluribus Imperatoribus confirmatum, quod
apertè absentiam includit casum. So ein Römischer Kaysar
oder König über Berg oder aus dem Reich ist / seiner Liebden
und einem ieden Pfalzgraven der Churfürst ist / die versorgung
und verwaltung desselben gebühret und zustehet / wie wir dann
dasselbe auch seine hergebrachte Freyheit und privilegium hier
von confirmiret und bestätiget, Extat apud Marq. Freher.
ad Petr. de Andolin. 2. cap. 10. & Joh. Limn. Tom. 1. Jur.
publ. l. 3. c. 12. n. 36.

IX.

Expositis ijs qui jus indicendi Comitia habent, transi-
mus ad illos qui ad ea vocari solent, & hi quidem Status
Imperij Reichstände appellantur. De illis ut plenius con-
stet, credo prius explicandum esse, quis in genere civis di-

B

catur

eatur. Dicitur autem secundum Aristotelem *lib. 3. Polit. cap. 1.* civis, cui in illa civitate, cujus est civis, potestas, est fungendi magistratu vel deliberativo vel judiciali. Hac definitione positâ, obscurum nemini esse potest, quinam in nostra Republica maximè cives nominandi sint: scilicet illi, qui potestatem habent judicandi de ijs quæ ad τὸ κρείον vel summam Reip. pertinent. Hoc jus suffragiorum adeo est proprium verorum civium alicujus civitatis, ut eorum essentiam unicè constituat. Adeoque qui eâ potestate non pollet, civis propriè non dicendus est. Neque hic attendendum, an ejus jure sit civis an injuria, nec an jure vel injuria hac potestate sit privatus: Sed simpliciter asserimus, illum qui primo actu deliberationibus *ὡς ἔστι* & *κρείον* interest, esse reapse in civium censu. His solidis fundamentis, quæ Amplissimus Dn Præses in *Disputatione de Germanici Imperii civibus*, nobis suppeditat, præmissis, absque ulla hæsitacione dicimus, illos ad Imperij Comitia necessariò vocandos esse, qui sunt veri & genuini cives & Ordines Imperij, hoc est, quibus actu competit jus deliberandi de illis quæ ad summam majestatem Reip. Rom. Germ. spectant.

X.

Ex his non poterit non recte rem intelligentibus illicò patere: illos totâ errare viâ, qui existimant veram notam civis ac Ordinis, esse si quis matriculæ vel albo Ordinum sit insertus, aut collectiones arario Imperij immediatè exsolvat. Nam primò multæ resp. dantur in quibus civium numerus non est descriptus. Ita in nostro Imperio Sigismundus Anno 1431. primum curavit Ordines in matriculam referri, ante illius tempora nullum vestigium alicujus albi in antiquis monumentis apparet, & sic non nisi absurdè dicendum esset, ante Sigismundum rempub.

publicam nostram planè civibus caruisse. Deinde quo d collectiones Imperii attinet, usu venire solet, ut illi etiam de bonis suis in publicum aliquid conferant qui sunt meri subditi, quod ipsum *thesis 9. dict. Diss.* exemplo Poloniæ olim devictæ satis probat.

XI.

Quia jam expositum est quæ sit vera nota civis ac Ordinis Reip. ulterius nobis progrediendum esset & qui ad verorum civium censum pertineant ostendendum. Sed hæc res ita difficilis est, ut nihil certi hîc statuere possimus. Nam Respublica nostra innumeras passa est mutationes, nec tamen ullum monumentum extat, ex quo verus civium numerus possit innotescere. Circumferuntur quidem nonnullæ Ordinum tabulæ quibus illi in quaterniones sunt divisi, sed continent illæ putida & anilia commenta. Sub Sigismundo & sequentibus Imperatoribus actum fuit, ut tandem certa Ordinum matricula conficeretur, sed licet aliquid circa hoc negotium definitum fuerit: tamen haut levis incertitudo mansit. Cum enim bella Turcica & Bohæmica tum temporis ingruerent, eaque authoritate publica essent gerenda, plurimi id egerunt ut amplissimus Ordinum numerus constitueretur. Haut ineptè enim collegerunt diviso in plures publico tributo onera reddi multum tolerabiliora. Atque sic apparet, ex illa quoque Ordinum descriptione nihil certi colligi posse. Hoc ipsum cum Status Imperij tum temporis animadverterent, noluerunt hanc rem crassis occultatam & circumfusam tenebris diutius latere. Quamobrem Anno 1521. majori diligentia priscos errores correxerunt, & matriculam confecerunt accuratioram, sed quod nec illa omnem rem conficiat, clare ostendit Ampl. Dn. Præf. d. l. *Thesi 49.*

Quamvis autem, uti dictum, nec hodie certi quicquam hac de re affirmare possimus, tamen illud constare arbitror, Ordines Imperij in tres classes esse divisos, in Electores, Principes & Vrbes Imperiales. Jacob. Lampadius *Tract. de Rep. Rom. German. parte 111. cap. 3. num. 23.* Electores sunt vel Ecclesiastici vel Seculares. Principes iterum sunt vel sacri vel politici. Illius Ordinis sunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Magistri Ordinum militarium sacrorum omnes quotquot territorium ab Imperio immediate dependens possident. Ad alterum Ordinem pertinent Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones. Ultimo loco sunt Civitates, quæ proximè Imperio subsunt & territoria Imperij obtinent. Quod adeo verum est, ut hodie jus civitatis absque territorio consistere haut possit. Reinkink. *Tract. de Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. Class. V c. 10. n. 26.* Lubens quidem fateor, hoc ipsum à multis propterea in controversiam vocari, quod Status Imperii non feudariæ possessionis dignitas, sed personæ celsitudo sit, non glebæ pretium, sed summi principis præmium. Zach. Viet *de caus. exempt. Imp. conclus. 28.* Attamen, ut nunc sunt Imperii mores, soli illi, qui provincias Imperio immediatè subjectas possident jus suffragandi in Comitibus habent. Et vero convenit hoc cum novissima Imperii sanctione, quæ obnixè inculcat, neminem nisi feudo-regali instructum ad Senatum Principum admittendum esse R. I. *de Anno 1654. §. Ueber dieses haben wir.* Interfuère quidem illis deliberationibus novi quidam Principes, sed reliqui conquesti sunt, sibi æquari illos, qui nihil aut parum bonorum immediatorum in Imperio sibi hæctenus comparaverint. Limn. *Tom. V. Jur. publ.*

XIII.

Recensitis *ὡς ἐν παρῳδῳ* Imperij Ordinibus, statim se nobilis offert quaestio: An Ecclesiastici Proceres ad Comitia vocari possint, qui à Pontifice Romano pallium nondum acceperunt aut ab eodem confirmati sunt? Quaestio hæc, si paulo accuratius perpenditur, videtur omnino affirmandâ esse. Status enim sacri hoc jus exercent non ut Archiepiscopi, Episcopi aut Prælati, sed quatenus sunt Principes & cives Imperii, quo nomine illos indigitari non ex uno loco A. B. constat, ex *cap. 1. pr. cap. 2. & cap. 3.* Et quamvis in Concordatis nationis Germanicæ quæ Fredericus III. cum Nicolao Vto iniit, cautum sit, ne Imperator ulli Ecclesiastico Ordini regali conferat, priusquam à Pontifice fuerit investitus; tamen quod hoc non obstante Imperatori liceat Archiepiscopis & Episcopis ante confirmationem Papæ jura civitatis largiri, omni dubio caret. Siquidem Concordatis illis successores non obligantur, quatenus Cæsaris & totius Imperij juri contrariantur. Arnoldus Engelbrecht Cancellarius, avus meus piæ memoriæ *Dissert. de Jurisdictione thesi 67.* Adde Buxtorff. *ad A. B. thes. 18.*

XIV.

Hæc res occasionem præbuit insigni illi injuriæ, quâ Archiepiscopi & Episcopi Augustanæ Confessioni addicti superiori seculo affecti sunt. Cum enim Pontificis jugum plane excuterent, Ordines Pontificij illos Vatiniano pene odio fuere profecuti; idque unicè egerunt ut omnibus regalibus privarentur. Lis hæc diu & non absq; summo fervore utrinque fuit agitata, donec tandem in *R. I. de Anno 1555. §.* Und nach dem. constitutum est: ut Clerus

à Catholicis ad Protestantium sacra abiens ab Episcopa-
 tibus & consequenter omnibus juribus quæ illis sunt an-
 nexa removeretur. Licet autem hæc Ferdinandi I.
 Constitutio, quæ *der Geistliche vorbehalt* nuncupari solet,
 in vim legis non transferit, ut accuratè ostendit Lampad.
d. Tr. part. 3. c. 11. n. 15. 16 & seqq. Tamen hoc operata est,
 ut Episcopi Protestantes à jure Conciliorum per inter-
 vallum temporis haut exiguum fuerint exclusi. Uti hoc
 apparet ex *Transactionis Pragense de Anno 1635. §. Anlangend
 die sessiones und Vota.* Quæ res cum acerrimas conten-
 tiones & diffidia capitalia in Imperio gigneret, pace inter
 Germaniam & coronam Sueciæ Osnabrugis Anno 1648.
 facta, statutum fuit, ut Archiepiscopi & Episcopi A. C.
 rursus ad Comitiam admitterentur. *Instr. Pac. Cesar. Suec.
 Artic. V. §. 6.* Quod ipsum à Ferdinando III. in proximis
 Comitijs de Anno 1654. fuisse observatum, testatur Auctor
der Grundfeste parte 1. c. 5.

XV.

Antequam hinc abeamus, paucis dispiciendum erit,
 an sede vacante Archiepiscopi vel Episcopi locus etiam
 in Comitijs sit vacuus, an vero Capitulum interea eundem
 occupet? Dd. Juris Canonici nonnullos textus adducere
 solent, ex quibus posterius evincere conantur. Credunt
 autem, huic rei quam maxime subservire regulas vulgatas:
 Potestas Episcopalis residet penes Capitulum; In omnibus,
 in quibus non præjudicatur Episcopo, Capitulum potest
 supplere vicem Episcopi, *Cap. His quæ. 11. X. de Majorit. &
 obedient.* Et vero huic quàm plurimi actus respondent
 quos Capitulum sede vacante exercere potest. Ita insti-
 tuit præsentatos si sint idonei, *cap. 1. de Instit. in 610 præ-
 bendas confert, c. unic. in pr. ne sede vacant. aliq. innov. in 610.*
 dat literas dimissorias: facit statuta pertinentia ad totam
 diocesim

diœcesin, e. fin. de Const. in 610. Ungepaur. ad Tit. X. Ne sede vacante. An vero jure Comitiorum gaudeat ex allegatis textibus vix probari potest. Licet enim regulæ supra adductæ sua non careant veritate, tamen perquam difficile est jus aliquod singulare exinde, idque maximi momenti velle astruere. Quando autem leges Imperii in auxilium vocamus, res est multo expeditior; nam ex subscriptionibus apparet, Capitula plus una vice in deliberationibus Imperij locum invenisse. Ita Probst/ Dechand und Capitul des Thumstifts Freysingen R. I. de Anno 1559. Dechand und Capitul des Stifts Halberstadt R. I. de Anno 1576.

XVI.

Postquam de Principibus Ecclesiasticis fuit actum, jam festino ad Seculares. Notandum autem est, quod omnes qui quidem Imperij Germanici finibus continentur & territorium aliquod ab Imperio obtinent ad Comititia vocari debeant. Quod si autem in minorennitate adhuc sunt constituti, eorum tutores hoc officio defungi solent. Æquissimum enim est ut illius vices alius sustineat qui negotia ad se pertinentia propter lubricam ætatem ipse administrare nequit. Hinc R. I. de Anno 1594. subscripsit Fridericus Wilhelmus Herzog zu Sachsen/in Vormundschafft/ und der Chur-Sachsen Administrator; nec non Recessui Imperii de Anno 1654. Maria Anna Vidua Electoris Bavariæ nomine filij Ferdinandi Mariæ subscripsit. Majorenes facti propriâ auctoritate deliberationibus publicis interfunt. Quod ipsum quoque illis ante petitionem intra annum investituram licere multis exemplis commonstrat Limn. Tom. 3. Jur. publ. lib. 9. c. 1. n. 52.

XVII.

Non incommode hic quaritur, an Reges Bohæmiæ in Comitijs Imperii sessionis & sententiæ dicendæ jus habeant.

beant. Certe si perpetuam rerum Germanicarum historiam ob oculus ponimus, patet, illos ad Ordinum conventus diu satis vocatos fuisse. Nam Anno 1156. Vladislaum Regem in Comitibus Ratisbonæ celebratis sessionem atque suffragium habuisse testatur Günther. *in Ligurin. lib. 5. in princ.* Cui etiam respondet decretum Friderici I. apud Goldast. *Tom. 1. Const. Imp. p. 288.* Cum Anno 1387. conventus generalis à Wenceslao Mergetheimi in Franconia haberetur, Regis Bohæmiæ legati isthuc quoque missi sunt. Lehmann. *lib. 7. Chron. Spirens. c. 68.* In Comitibus Anno 1461. à Friderico III. Egræ habitis Georgius Rex Bohæmiæ cum Cæsare & reliquis Statibus Imperij de salute Reip. consultavit. Zach. Theobald *in tract. de bello Hussitic. part. 3. Anno 1461.* Postquam autem Rex Bohæmiæ Anno 1468. à collegio Electorali fuit exclusus, jus Comitiorum hoc regnum videtur perdidisse. Huic exclusioni causam dedit Vladislaus, qui cum esset Polonus & noviter ad regnum Bohæmiæ absque Cæsaris auctoritate assumtus, ab arcanis Reip. plane fuit remotus. Ex hoc tempore Reges Bohæmiæ Comitibus non interfuisse, existimat Carpzov. *ad legem Reg. Germ. Cap. V. sect. 9.* Sed Melchior Goldast. *lib. de Regno Bohæmiæ testatur* Carolum V. ad Comitiam Wormatiæ habitam Ferdinandum fratrem Bohæmiæ Regem citasse, eundemque ibi per legatos comparuisse, quod etiam Anno 1530. factum esse memorat. Ex quibus apparet valde dubium esse, quamdiu Regnum Bohæmiæ jus Comitiorum retinuerit. Sed quicquid hujus rei sit, hodie ad Comitiam non vocatur, neque voto aut sessione in illis fruitur. Facit huc responsum Ferdinandi I. Regis Bohæmiæ ad Carolum V. in Comitibus Augustanis Anno 1548 celebratis, ubi inter alia ita dicit Ferdinandus: *Zu deme das ein König zu Böhmē zu einigem Reichstage nicht beschrieben*

ben würdē / noch weder Stand noch Stimme im Reichsrath
hette. Hoc responsum recitat Arumæus *Tract. de Comitibus*
c. 4. n. 58. Neque propterea existimandum est Regem
Bohæmiæ non esse Statum Imperij. Quamvis enim in
eo vera Status nota consistat, ut quis de maximis gravissi-
misque S. Romani Imperij negotijs simul deliberet; tamen
ex privilegio cessat quoad Bohæmiam ejusque Regem, qui
inter Imperij Status nihilominus connumeratur. In quo
non possumus non sequi Ampl. Dn. Præsid. *in libr. de Fini-
bus Imperii c. 29.*

XIIX.

Vti de Rege Bohæmiæ ita etiam de Nobilibus imme-
diatis solet controversari, an sint Status Imperij votumque
& sessionem in Comitibus habeant. Et vero, si pristini
temporis memoriam recolimus, admodum videtur vero-
simile jam ante Caroli IV. sanctionem illos in publi-
cis imperij Comitibus locum inter reliquos Status habu-
isse. Apparet hoc ex tenore A. B. Mit gutem Raht uns-
ser und des H. Reichs Churfürsten / Fürsten / Grafen /
Freiherrn / Rittern / Knechten und Ständen. *in pr. Reforma-
tionis Friderici 11 I. de Anno 1442. ibi: Freiherrn / Rittern /
Knechte und Stände.* Videatur *Bulla Sigismundi Imp. apud
Goldastum Tom. 1. Const. Imp. p. 398.* Sed insecutis tempo-
ribus rarius ad Comitibus venerunt. Quo autem tempore
hanc dignitatem amiserint difficile est pronunciari. In-
terim si Maximiliani I & seqq. Imperatorum constitutio-
nes inspicimus, in illis Nobilium nullam fieri mentio-
nem animadvertimus. Quæ autem factum sit, ut à jure
Comitiorum fuerint exclusi certo defini non potest. Quin
Limæus *Tom. 2. Jur. publici l. 1. c. 3. n. 25.* illos ridet qui hu-
jus rei causam indagare volunt, atque omne illud à libe-
ra Imperatoris voluntate dependere existimat. Attamen
illo,

C

illo,

illorum opinio non est contemnenda, qui Ordinem Eque-
strem hac dignitate idcirco privatum esse arbitrantur,
quod publicis collectis Imperio succurrere detrectaverit.
Hæc ratio habetur in *consilio Ludovici Grempii & Hiero-
nymi zum Lamb von Erbahren Reichsstatte Stand und
Stimme*/ quod reperitur apud Befold. in *Thesaur. practico
voce Reichsstande* Adde eundem Befold. in *discursu de Ordin.
Equestri*. Quamvis autem hodie certissimi juris sit, Nobi-
les immediatos Comitiorum non esse participes, tamen
Hippolitus à Treisbach in dem unvorgreiflichen bedencken
über etliche fragen der freyen Reichs Ritterschafft in Schwaben
Franken und Rheinstrom Standt und lession betreffend hujus
Ordinis honoratissimi patrocinium suscipit. Sed ejus argu-
menta bene emedullavit Linnaeus *Tom. 4. Jur. public. in
Addit. ad lib. 6. cap. 3. num. 10.* & in *Annot. ad Capit. Carol. V.
p. 222.* ubi rem omnem prolixè persequitur, Et tantum de
causa efficiente.

XIX.

Causam efficientem statim excipit causa materialis,
quam in nostra tractatione constituunt res illæ quæ sub
deliberationem cadunt. Jam ex iis quæ supra sunt allata
liquet, illas res cum primis in deliberationem venire, quæ
ad τὸ κρείον sive summam reip. pertinent. Licet vero hodi-
erni scriptores politici hoc ipsum variis rebus determina-
re soleant, tamen nos sequemur communem doctorem
Aristotelem, qui *lib. 4. Politic. c. 14.* tres partes esse docet
in quibus summa reip. consistit, primam, quæ potestatem
habet deliberandi de arduis civitatis negotiis; secunda
in magistratibus, tertia in judiciis consistit. His vestigiis
insistentes, Comitiorum causam materialem secundum
tres illas partes explicabimus. In primo membro con-
sideranda veniunt negotia maximi momenti, quæ ab A-
ristotele

riftolele *lib. 1. Rhetor. c. 4.* ex parte enumerantur. Nos
melioris Ordinis gratia dispescemus ea, in negotia quæ
intra limites ipsius societatis terminantur & quæ exteros
respiciunt. Illa sunt legumlatio, deliberatio de tributis
colligendis, quo loco de nummis cudendis nonnulla ad-
demus. Hæc sunt bellum & pax, custodia regionis, impor-
tanda & exportanda, denique fœdera.

XX.

Inter ea quæ inter limites societatis civilis terminan-
tur primas sibi partes vindicat legumlatio, unde hæc fa-
cultas Aristoteli *ἡγεμονικόν lib. 6. Ethic. c. 8.* appellatur.
Videtur autem duplici ratione objectum consultationum
constituere posse. Deliberatur enim vel de legibus la-
tis vel de legibus ferendis. Leges jam latæ sunt vel publi-
cæ vel privatæ; illæ statum reip. hæc singulorum negotia
privata spiciunt. Leges tamen publicæ quam privato ite-
rum sunt vel scriptæ vel non scriptæ. De legibus jam latis
haut potest alia ratione deliberari, quam ut vel explicen-
tur, vel confirmentur & renoventur, vel plane abrogen-
tur, aut quodammodo mutantur. Hæc cum præcipuè in
ejusmodi deliberationibus observentur, jam videbimus
an in Comitiiis nostræ reip. res eodem expediatur modo.
Declarationis exemplum habemus in *der Handhabung des
Friedens zu Wormbs Anno 1495. Tit. Was mit dem gemeinen
Pfenning erobert wird. In der Erklärung des Landfriedens zu
Augsburg Tit. Ob jemand der Friedbrecher heimlicher zuschub
verdacht wehre. Quod de Legum jam latarum renovatio-
ne & confirmatione & in Comitiiis agi soleat, testatur die
Erklärung des Landfriedens zu Augsburg Anno 1500. auffge-
richtet Tit. Ganerben Schloß. Cumque humani juris con-
ditio semper in infinitum decurrat, nihilque sit in ea
quod stare perpetuo possit, multas enim formas natura*

novas deproperat edere, uti prudenter loquitur Justinianus Imperator in *l. Tanta §. 15. C. de Vet. Iur. enucleand.* sæpius fit ut leges, quæ antea justæ & utilissimæ sunt judicatae, jam nonnihil immutentur. Quod tamen temerè & quacunque de causa haut fieri debet; hoc pacto enim legum vis magis magisque enervatur, simulque latoribus sua reverentia perit. Hoc de argumento egregia habet Aristoteles *lib. 2. politic. c. 6.* Quando, inquit, extiterit, quod melius est parvum, assuescere autem facile leges solvere malum; perspicuum est, oportere errata quadam legislatorum & magistratum sinere. Neq; enim tantum emolumentum capiet qui moverit, quantum detrimentum assuetis non parere imperium in se habentibus. Et paulo post: Quare facile migrare è legibus quæ jam sunt, in alias novas leges, est imbecillam reddere potestatem legis. Interim quando evidens reip. necessitas illud postulat, quin ea quæ jam constituta sunt & in usum reip. transierunt contrariis decretis possint limitari, non dubitamus. Confirmant hoc Imperij Recessus; ex quorum inspectione discimus anteriores constitutiones pro statu & utilitate reip. sæpius fuisse immutatas. Erklärung des Landfriedens zu Augspurg Anno 1500. auffgerichtet Tit. vom auffgerichteten Landfrieden ibi: Etliche geendert. R. A. zu Augspurg. Anno 1555. §. Und wiewol.

XXI.

Haut dissimili ratione Cæsar & Ordines Imperij circa leges privatas versantur. Quando enim eas aliqua obcuritate laborare animadvertunt, illarum mentem uberius explanant. Hinc est, quod in Comitijis Anno 1557. Spira habitis §. Ferner. promittant, se fore interpretes Ordinationis Camerae, si forte judices aut assessores illius sententiam in omnibus plene percipere nequeant.

Si

Si leges in desuetudinem fortassis abiere, Cæsar & Status Imperii dant operam, ut major illis auctoritas concilietur. Hoc satis apparet ex *proæmio Ordinat. Camerae de Anno 1655. R. A. zu Augspurg Anno 1500 Tit. Von überflüssigkeit der Kleider und andern.* Quod leges eatenus etiam præbeant materiam publicis Imperii deliberationibus, quatenus jam promulgatæ aut receptæ pro utilitate Reip. sint mutandæ aut plane refigendæ, declarant Recessus Imperii, in quibus à jure communi & Constitutionibus antea latis passim receditur. *Reformat. Polit. sub Recess. de Anno 1548. §. 1577. Tit. Von der Pupillen oder Minderjährigen Kinder Tutorn und Vormundern R. A. zu Augspurg Anno 1548. §.* Als auch in des H. R. Reichs hiebevör. Quia etiam consuetudo non minus species juris est, quam jus scriptum, facile apparet neque illam in Comitibus negligi. Hinc fieri videas ut laudabiles Imperii & singulorum locorum consuetudines confirmentur. *Die Ordnung der Notarien zu Colln Anno 1512. auffgerichtet §.* Darumb so gebieten R. A. zu Regenspurg *Anno 1654. §.* Beneben sollen. Consuetudines autem pravæ & irrationabiles aboleantur & abrogentur. *Policey Ordnung zu Franckfurt Anno 1577. auffgerichtet. Tit. Von Handwercks Söhnen/Gesellen/Knechten und Lehrknaben.* Die Cammergerichts Ordnung zu Augspurg *Anno 1500. auffgerichtet Tit. die Succession der Diebstahler und Enkelten.*

XXII.

Observandum vero hic etiam atq; etiam, non simpliciter omnem *consuetudinem* esse penes Comitibus sed bonâ ex parte penes singulos Ordines: idque unice servari expedire Imperio. Huc pertinent quæ ab Amplissimo Dn. Præside passim sunt dissertata libro de *Origine juris Germanici*, cum primis *cap. ultimo.* Quinimò merentur notari, cum

Capitulares Leges Cæsaribus eligendis soli aliquandiu
hactenus Electores præscripserint, in hisce autem præci-
pua ferè ratio administrandæ reipublicæ fuerit compre-
hensa, tractam ad Electorale arbitrium partem ferè po-
tissimam Legum. Quoniam vero cautum est Instrumen-
to Pacis, ut Capitularis lex perpetua in Comitiiis conficia-
tur, liquet rediisse Comitiiis pristinam L L. condendarum
auctoritatem.

XXIII.

Intelleximus quo tendant deliberationes quæ in Co-
mitiiis de legibus jam latis suscipiuntur; Veniamus ad al-
terum membrum, scilicet ipsam legumlationem in specie
ita dictam. Ubi sane præmonendum est, quod omnis ille
qui reip. salutare leges præscribere velit, ad finem & sco-
pum ejus ante omnia respicere debeat. *Enimvero omnis
tractatio de recte constituendis aut conservandis rebus publicis
per causam finalem quam maxime instituitur. In omni certe
deliberatione semper attenditur causa illa; queritur enim
quidnam fini illi utile sit nec ne; quod expendi non potest nisi
oculis in scopum directis, & mediis omnibus ad scopum tanquam
ad regulam certissimam examinatis.* Ita differit Ampliss.
Dn. Præses cap. 8. lib. de Civili prud. Quia autem finis cu-
juslibet reip. est vel internus vel externus, leges cum me-
dia ad utrumque finem accuratè erunt componendæ.
Finis externus in nostra rep. est vera felicitas, quæ in eo
consistit, ut cives operentur secundum virtutum & rerum
sufficientia sint instructi. Finis internus, ut in omnibus
actibus civilibus, hic reapse idem quid est cum causa for-
mali, consistitque in eo, ut Cæsar & Ordines in mistio-
nem S. Majestatis partium unanimiter conspirent.

XXIV.

Ex dictis facile fit manifestum, quem scopum nostri
Proce-

Proceres in hac parte deliberationis sibi habeant propo-
situm. Quia scilicet nostra respublica intendit veram
felicitatem, huc primo omnes conatus inflectunt, ut le-
ges bonæ & simpliciter justæ condantur, hoc est, tales
quæ directè virtutum actus jubent, vetant vero actus viti-
orum. Harum ingentem cumulum in Imperii Consti-
tutionibus illi reperire licet, qui eas paulo accuratius
pensitare haut gravabitur. *R. A. zu Trier und Colln Anno
1512. Tit. Von Gotteslesterern. S. Desgleichen. Rnformation
guter Policen zu Augspurg Anno 1548. auffgerichtet. Tit. Vom
zutrincken. & Tit. Von unordentlicher Köstlichkeit der Klei-
dung.* Deinde haut minor cura conservando publico
Statui impenditur. Cum vero nostra respublica ex Mo-
narchia & Aristocratia sit composita, deliberationes
quoque eò diriguntur ut forma quæ est inter ipsos Ordi-
nes, & quæ est inter Imperatorem & Ordines salutaribus
legibus stabiliatur. Quod quomodo fiat, jam erit dispici-
endum. Certe Aristocratiam maxime tuetur ac conser-
vat, si cavetur, ne unus in civitate honoribus, opibus,
ac potentia tantum excellat, ut cæteris civibus formida-
bilis videatur fieri. Tale remedium suppeditat Aristote-
les *lib. V. Politic. c. 8. Commune autem est, ait, & in populo, &
in paucorum dominatu, & in principatu, & omni republica,
neque augere valde quempiam præter justam mensuram: sed
potius experiri parvos & diuturnos honores tribuere, quam
brevis magnos.* Hac in re circumspèctè Veneti agunt, dum
nemini ex suo genere manum militarem temerè concre-
dunt, & licet concedant; tamen alias tam indigenæ quàm
peregrini Ducis adeò arctè circumcidunt, ut illi altius
quam Senatus velit, evolare non possint. Hoc cum & no-
stræ reipublicæ conducat, Cæsar & Status Imperii accu-
ratè omnia illa circumspiciunt, quæ alicujus auctorida-
tem

tem ita augere possint, ut reliquis metuendus sit. Hac de causa illis invisæ sunt arces ad æmulationem alterius constructæ, & munimenta quæ prædonibus & pacis publicæ turbatoribus receptacula præbere possunt. *R. A. zu Regenspurg Anno 1567. §. Biewol wir nun nach solcher R. A. zu Regenspurg Anno 1567. §. Die weil uns den. Erklärung Des Landfriedens Tit. Wieder der Banerben Schloß.* Cum etiam alicujus Principis auctoritas metuenda sumat incrementa, si cum exteris Rebuspublicis aut potentibus vicinis foedere jungatur; huic rei etiam in Comitibus Imperij certi limites præscribuntur. Enata hinc est Maximiliani I constitutio, quæ ejusmodi foedera absque Imperij auctoritate facta irrita pronunciat. *R. A. zu Wormbs Anno 1495. Tit. Die Königliche.* Quanquam hæc lex per transactionem Osnabrugensem certa sub conditione rursus abrogata sit. *Inst. Pac. Cesar. Suec. Art. 8. §. Gaudeant,* Verùm in nostrâ republicâ, uti jam monitum, non solum status Aristocraticus sed etiam Monarchicus conspicitur, hinc necesse est, ut in consultationibus Imperij hujus quoque ratio habeatur. Credo autem quam optime illi consuli si Imperatori summa quædam jura soli reserventur; quod etiam factum esse probatur ex *A. B. Art. V. Ordnung der Regiments Anno 1521. zu Wormbs §. Und behalten uns bevor. R. A. zu Speyer Anno 1542. §. Hierumb und diewel.*

XXV.

Præter has leges sunt etiam aliæ quæ singulorum negotia privata dirigunt; de his quin in publicis Imperij conventibus deliberetur, nulla ratio nos dubitare finit. Notandum autem est, quod in illarum promulgatione ad scopum reip. non semper respiciatur. Hæc enim negotia omni fere tempore sunt eadem, nec pro diversitate rerumpublicarum valdè mutantur. Interim negari non potest

de
ex-
cæ
Res
N.
ung
um
re-
nis
erti
on-
ate
Tit.
em
fit.
trâ
ra-
esse
ha-
pe
am
gio
N.
im
erij
it.
ad
go-
te
on
est

potest privatorum actus nonnunquam civitatis regimen
& statum publicum attingere. Quod si Legislato r vide-
rit, officio ejus incumbit, ut illos pro sua prudentia secun-
dum reip. suæ scopum disponat. Vide *caput. 6. libr. de Ci-
vili prudentia.* Cæterum ut constet qua ratione Impera-
tor & Ordines in Comitijis de legibus privatis condendis
deliberent, observandum est; civitatem ex vicis, hos ex
familiis, familias ex societatibus primis, conjugali, herili
& paterna compositas esse, atque has societates peculia-
ribus juribus gaudere, nec absque illis vel ad leve mo-
mentum consistere posse. His præsuppositis asserimus,
deliberationes circa hoc negotium illud spectare, ut ta-
les leges promulgentur, quæ vicum, familiam, deinde
conjugalem, herilem & paternam societates conservent,
aut conservare credantur. Hoc si quis pernoscere velit
inspiciat Imperii Recessus qui ingentem harum legum
cumulum suppeditabunt.

XXVI.

Quoniam res nostræ eò pervenerunt, ut è publico ara-
rio non modò non nervi bellorum sed nec pacis subsidia
Imperatori amplius suppetant, conquerente Reverendissi-
mo & Illustrissimo Principe Julio Pflugio Episcopo Naum-
burg. in *Orat. de Ordin. Rep. Germ.* nulla fere Comitia ce-
lebrantur, in quibus non de contributionibus agatur.
Quæ cum Imperator non aliter quam prævio consilio &
consensu Imperii Statuum imponere possit *Instr. Pac. Artic.*
8. §. Gaudeant. jam videbimus qua ratione de collectis
Imperii consultationes iniri soleant. Sunt autem con-
tributiones duplicis generis. Aliæ sunt Ordinariæ, aliæ
Extraordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ ex legis provisio-
ne certam quotannis semel vel sæpius etiam recurrentem
vel regularem habent præstationem, in ordinarios & quo-

D

tidianos

tidianos reip. usus & negotia impondendam, ex bonis quæ
possessor in territorio magistratus collectantis possidet *l.*
fin. C. sine censu vel reliquis &c. Extraordinariæ sunt, quæ
æratio ordinaria collatione constituta, exhausto, perso-
nis principaliter, contemplatione rerum quas possident
modo majores modo minores indicuntur ob necessita-
tem publicam incidentem, ad tempus donec necessitas
illa cessaverit. Speidel. *in Speculo verb. Steur/Schazunge.*
Collectiones Ordinariæ in nostro Imperio sunt der An-
schlag des Römerzuges. Licet enim singulis annis expedi-
tio Romana non exerceatur, tamen obligationem perpe-
tuam habet. Huc etiam referenda est contributio Sta-
tuum zu unterhaltung des Cammergerichts. Quæ ut initio
temporaria fuerit & extraordinaria visa R. A. zu Speyer
Anno 1544. §. So viel das recht belanget. R. A. zu Augspurg
Anno 1548. §. Dieweil auch unser Keyserlich Cammergerichte.
postea tamen perpetua facta est & ordinaria *Ordin. Cam.*
part. 1. Tit. 42. & seqq. R. A. zu Augspurg *Anno 1566. §.* Das
mit auch diese acht. R. A. zu Regenspurg *Anno 1654. §.* Di-
weil auch jährlich. Postquam itaque circa has collectas
certi quid est constitutum, non amplius sunt adæqua-
tum objectum Comitiorum, sed tantum illæ quæ dicun-
tur Extraordinariæ. Sunt autem hæ in duplici differen-
tia; vel enim ad negotia pacis, vel ad negotia belli spectant.
Hujus generis est die Türkensteuer. Quæ ad pacis negotia
pertinent, pro varietate utilitatis reip. variæ esse possunt.
Tales sunt quæ legationibus impenduntur. R. A. zu Res-
enspurg *Anno 1576. §.* Wir haben R. A. zu Regenspurg *Anno*
1598. §. Dieweil aber. Primò omnium autem attenditur, an
talis reip. necessitas immineat, quæ tributorum collectio-
nem postulet, quæ si apparet, communi suffragio collecti-
onem generalem decernunt, Uti videre est ex R. A. zu
Nürnberg

Nürnberg Anno 1524. §. Item als auch. R. A. zu Augspurg
Anno 1530. §. Demnach wir & seq. Quando bellicæ con-
tributiones sunt exsolvendæ, cum primis deliberatur, an
pecuniâ reip. sit succurrendum an vero milite. Si animad-
vertitur Imperij rebus pecuniâ numeratâ magis consuli,
eadem etiam promittitur R. A. Augspurg Anno 1548. §.
Ferner haben wir aus R. A. zu Augspurg Anno 1551. §. So ha-
ben wir in fin. & seq. in pr. Sin vero reip. necessitas mili-
tem requirit ad illum mittendum Ordines se obligant
R. A. zu Regenspurg Anno 1576. §. In selben. R. A. zu Nürn-
berg Anno 1521. §. Item haben wir uns.

XXVII.

Ad majestatis quoque jura refertur potestas *ἡ ἐξ ἐπι-
στομῶν*: circa monetam, uti docet Aristoteles 2 *Oecon.* 2. Jus
hoc monetæ duplici ratione potest considerari, nam vel
est in communibus legibus nummariis & ad Comitiam per-
tinet. Jacob. Lampad. *Traët. de Rep. Rom. Germ. part. 3. cap.*
14. num. 18. vel in concedendo alicui cudendæ monetæ jure
consistit. Et hæc potestas Cæsaris & Electorum est. *Capit.*
Rudolphi Imp. §. Wir sollen und wollen auch hinfüro ohn
vorwissen der sechs Churfürsten. Prout autem jus mone-
tæ Comitiorum objectum constituit, variis modis inter
Cæsarem & Status Imperii de illo consultationes institu-
untur. Hoc ut eò rectius appareat, primò notandum
est, quod nummus sit instrumentum commerciorum sine
quibus respubl. diu durare non potest. Quo posito sequi-
tur, nummi materiam debere esse talem, quæ placeat ijs,
cum quibus commercia exercemus sive peregrinis sive ci-
vibus. Quoniam vero metallum est talis materia, S. P. cura-
re debet, ut nummi quam maximè ex auro, argento & ære
cudantur. Hæc enim metalla omnibus gentibus maximè
sunt accepta, in que eò habentur pretio ut reliqua præ his

parvi aestimentur. Hic autem bene observandum est, quod nummi ex ære parcius sint cudendi, aut si aliquando mistio metallorum instituat, illa legibus determinari debeat. Hæc uti ipsa natura & cujuscunque reip. salus postulat, ita summo studio in Comitij Imperij fuisse observata, constat ex legibus quas hunc in finem videmus esse promulgatas. *R. A. zu Augspurg Anno 1500. S. Weiter & passim. Reysers Ferdinandi Neue Münzordnung. Anno 1559.* Antequam porrò ostendamus, quâ curâ hoc negotium à Statibus pertractetur, lubet locum elegantissimum ex Aristotel. *lib. 1. Polit. c. 6.* adducere, qui rem multum illustrare poterit. *Primum quidem simpliciter definitum magnitudine & pondere, postremo autem nota impressa ut liberet ipsos cura mensurandi. Nota enim posita est quantitatis indicium.* Hoc observato, non est obscurum pretium seu quantitatem, quam character exprimit, constituere nummi essentiam. Quia autem hoc pretium nummus non habet vi naturali materiæ & substantiæ suæ, necesse est, ut illud eidem à S. Majestate pro utilitate reip. imponatur. Ad hæc principia si quis leges Imperii velit examinare, ille ultro fatebitur, quam prudentissimè se nostros Proceres in justis nummorum precijs determinandis gessisse. *Reysers Ferdinandi Neue Münzordnung Anno 1559. R. A. zu Speyer. Anno 1570.*

XXVIII.

Pertractatis ijs quæ intra civilem societatem terminantur, jam ad ea quoque accedimus quæ extra illam finitimos vel externos respiciunt. Inter ea primum locum obtinet jus belli gerendi. Quod licet inter summa Majestatis regalia referatur Joh. Bodin. *lib. 1. de Rep. cap. 10.* Anton. Coler. *de Jure Imperii Germ. sect. 28.* tamen Imperator absque Ordinum, consensu circa illud nihil dispo-
nere

nerere potest. Elucet hoc ex Imperij Constitutionibus, in quibus expresse hac in parte Imperatoris potestas limitatur *Handhabung des Friedens zu Wormbs Anno 1495. Tit. Die Königliche Majestät sol keinen Krieg anfahen. Et Instr. Pac. d. Artic. 8. §. Gaudeant.* Vid. *Limn. in Annot. ad Capit. Caroli V. p. 184. 185.* ubi ab antiquissimis temporibus hoc fuisse demonstrat. Quando igitur Ordines à Cæsare ad bellum decernendum instigantur, potissimum provident, an reip. necessitas exigat, ut arma arripiantur: quo satis perspecto communi suffragio Imperatoris voto respondent *R. A. zu Regensburg Anno 1527. §. darauff also. R. A. zu Regensburg Anno 1532. §. Es haben uns & seq. R. A. zu Speyer Anno 1542. §. Und dieweil nun dieser anschlag/ ibi, nothwendig und Christlich vorgenommen.* Postquam de causæ justitia Ordines certiores facti sunt, statim de nervo & apparatu belli gerendi sunt solliciti. Militares enim expensæ & hostium incursiones multâ egent diligentiam & non possunt citra pecunias hæc agi, fatente Justiniano *in Novell. 8. cap. 10. §. 2.* Igitur summoperè laborant, quæ ratione tantum pecuniæ & commeatus à singulis possit in unum conferri, quod bello alendo sufficiat *R. A. zu Auspurg Anno 1548. §. Ferner haben R. A. zu Regensburg Anno 1557. §. So haben R. A. zu Regensburg Anno 1641. §. Unreichend die auffrichtung gewisser Magazin.* Nec in hoc acquiescunt, sed præterea dant operam, ut milite pedestri vel equestri aut utroq; à Statibus ratione bonorum quæ possident Imperio succurratur. Quemadmodum superioris anni experientia edocuit, cum pro libertate & finibus tuendis bellum contra Turcam susciperetur. Cum etiam militaris sine Duce turba sit corpus sine spiritu, ut vere dicit *Perdiccas apud Curtium lib. 10.* Imperator & Ordines in hoc maxime sunt occupati, ut Duces summâ

prudencia, nec minori rei militaris peritiâ & auctoritate
instructi exercitui præficientur. R. A. zu Regensburg Anno
1557. §. Alsdann ferner R. A. zu Regensburg Anno 1541. §.
Und dieweil und R. A. zu Augspurg Anno 1500. Tit. Des
Reichshauptmann betreffend.

XXIX.

Jus belli statim excipit potestas pacem pangendi, Fi-
nis enim belli pax est ut habet Aristoteles 7. *Polit. cap. 15.* ac
propterea bellum geritur, ut in pace iterum degatur Ari-
stot. X. *Ethic. cap. 7.* Hugo Grot. *de I. B. & Pac. cap. 1. lib. 1.*
Quemadmodum autem jus belli inter Imperatorem
& Ordines est divisum, ita etiam pax non aliter est
decernenda quam prævio Comitiali liberoque o-
mnium Imperii Statuum suffragio & consensu R. A. zu
Trier und Cölln Anno 1512. §. Item ob uns. *Instr. Pac. d. Art.*
Quando itaque Cæsar Ordinum consilio & operâ in hoc
negotio utitur, cum primis deliberari solet, an primo pax
sit sancienda & deinde quibus conditionibus ineunda,
Illud in Conventibus Imperii accuratè perpendi ex proce-
mio R. A. zu Regensburg Anno 1641. quodammodo co-
gnosimus: hoc non minori solertia tractari, colligi potest
ex eodem R. A. zu Regensburg Anno 1641. §. Nach dem aber.
Non incommode huc quoque refertur custodia regionis;
nam pacis tempore respublica bene constituta ad bellum
suscipiendum parata esse debet. Nec permittendum est,
ut milites compressis, quod ajunt, manibus sedeant; nihil
enim agendo male agere discunt, militaresque seditiones
plerumque ex otio abundantia & solitorum munerum
intermissione oriri solent. Christ. Forstner. *ad Tacit. lib. 1.*
Ann. p. 87. Quia vero regionis custodia tum in novis
munimentis exstruendis, tum in veteribus firmandis, tum
in milite præfidiario alendo consistit, facile patet, in Comi-
tijijs

tijs hæc membra præcipuè in discetationem vocari, uti
constat ex *Instr. Pac. Artic. 8. §. Gaudeant.*

XXX.

Jam nos ordo ducit ad importanda & exportanda, seu
commercia quæ cum exteris instituuntur; quæ tanti fecit
Aristoteles, ut inter præcipua publicarum deliberationum
objecta collocaverit. Verba ejus ita habent: *Ad anno-*
nam quod attinet, quanta illius copia & cujus generis civi-
tati sufficiat intelligendum: & qua illic nascantur, quæq; ali-
unde importentur, quarumq; rerum aut exportatione egeant
aut invectione, ut cum illis populis pacta conventionesque
fiant. Hæc si attendimus fit manifestum, quoniam is respi-
cere debeat, qui de his deliberationes instituere velit.
Certe naturâ ita comparatum esse cernimus, ut ubique
terrarum non earundem rerum copia haberi queat. Sed
huic regioni illa sæpe deesse, quæ alibi affatim reperiu-
tur. Etenim

*Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arbori factus alibi atq; injussa virescunt
Gramina*

Ut canit Virgilius *lib. 1. Georg. & plerumq; quod alteri super-*
est alteri deest uti ait J. C. Paulus *in l. 1. pr. ff. de Contrab.*
Emt. Qua de causa S. Majestas curare debet, ut illa qui-
bus resp. abundat exportentur, ea vero, quorum inopiam
patitur vicissim invehantur. In his vero commerciis
cum primis reip. salutem parendum esse, nemo non pru-
dens suaserit. Ideoque S. Majestas optime suæ reip. con-
sulit si inter ea quæ ad vitam commode transigendam &
luxuriosam faciunt, nec non inter sufficientia & superflua
accuratum faciat discrimen. An autem hæc omnia à
Cæsare aut Ordinibus in consultationibus Imperii obser-
ventur, ego haut dixerim. Interim quod nonnulla Co-
mitia

mitia saluberrimis deliberationibus ad hoc negotium at-
tinentibus non caruerint, ipsæ Imperii constitutiones fa-
tis ostendunt. *Policey Ordnung zu Franckfurt Anno 1577.*
Tit. 21. Tit. 22. R. A. zu Augspurg Anno 1551. §. So haben
wir uns auch. R. A. zu Regenspurg. Anno 1594. §. Dieweil
auch durch. XXXI.

Quoniam inter res quæ cum exteris intercedunt, fœ-
dera collocavimus, jam videbimus an illa quoque Comi-
tialis sint deliberationis objectum. Si ad pristini tempo-
ris memoriam oculos reflectimus, apparet, Imperato-
res ad fœdera cum exteris pangenda semper Ordinum
assensum in plenis Comitibus requisivisse. *Handhabung*
des Friedens Rechts und der Ordnung zu Wormbs An-
no 1494. Tit. Die Königliche Majestät. Quamvis autem
hæc constitutio sub Maximiliano I. in generali Ordinum
conventu fuerit promulgata, tamen illâ neglectâ ipsemet
Imperator inconsultis Statibus fœdus cum Pontifice Ro-
mano & Regibus Franciæ & Arragoniæ contra Venatos
iniit. *Hulder. Mutius l. 30. Chron. Germ. apud Pistor. Tom. 2.*
German. Scriptor. p. 314. Quod cum Ordines Imperij &
cum primis Electores male haberet, placuit illis Caro-
lum V. admonere, ne ulla fœdera absque eorum con-
sensu cum exteris iniret uti hoc licet colligere ex *Capit.*
Caroli V. Artic. 7. Hoc ipso cum Electorum potestatem
multum crescere, suam vero decrescere, reliqui Status &
Ordines animadverterent, Anno 1648. Osnabrugis hanc
majestatis partem sibi quoque communicari postularunt,
Neque plane nihil egerunt; sed eo res rediit, ut expressa
lege fuerit sancitum, ne ulla fœdera imposterum absque
Comiciali liberoque omnium Ordinum suffragio & con-
sensu sancirentur. *Instr. Pac. Artic. 8. §. Gaudeat.* Hinc et-
iam in *Capit. Ferdinandi IV.* ita legimus, ibi: *Keine vers*
bündnis

bündnis oder einigung mit frembden nationen, auch sonst im Reich machen / wir haben den zuvorhero der Churfürsten Fürsten und Stände bewilligung hierzu erlanget. *Artic. VII. Idem etiam in Capitul. Leopoldi I. Artic. X. habetur.*

XXXII.

Hæc sunt illa quæ ad Senatum pertinent. Sequuntur jam reliquæ duæ Reip. partes, Magistratus & Iudicia. Inter Magistratus autem nostri Imperii procul dubio primum locum sibi vendicant Vicarij Imperij, quorum alter, nempe Comes Palatinus in partibus Rheni & Sveviæ & ijs terris, quæ jure utuntur Franconico, ratione Principatus seu Comitatus Palatini; alter Dux Saxonix in ijs locis ubi Saxonica jura vigent Imperatoris vices sustinet. Secundum locum obtinent Archi Cancellarij Imperij, suntque tres Electores Ecclesiastici, qui dignitatem hanc per electionem Capituli accipiunt. De horum origine & causa præclara habet Lehman. *lib. 2. Chron. Spir. cap. 7. p. 69.* Haut dissimilis ratio est Electorum secularium: qui nec ab Imperatore nec ab Imperio constituuntur, sed hæreditario jure dignitatem suam accipiunt. Vid. Amplissimi Dn. Præsid. *disp. de Septemv. seu Elector. Imp. Germ. lib. 24.* Tertiò ab his sunt loco Electorum Vicarij seu Sub Officiarij, suntque hodie Comes de Hohenzollrn, Vice Camerarius, Vice Pincerna de Limburg, Subdapifer de Walenburg & Vice Mareschallus de Papenheim *Aur. Bull. Artic. 4. & 27.* Cumque Palatinus Rheni institutum octavum Electorum cum officio Archi Thesaurarij exerceat, Sub Vicariatus dignitatem familiæ Comitum de Synzendorff concessit, exque ijs Anno 1653. consensu Imp. & Electorum de officio investivit fratres Georgium Ludovicum Cameræ Imperialis Aulicæ Præsidem, & Joh. Joachimum

E

Con-

Conſiliarium Imperij aulicum, de Synzendorff. Dietrichs *ad Art. 27. A. B p. 313.* Deinde ſe offerunt Gubernatores Circulorum die Kraiſ Oberſten/ de quorum officio in Comitijſ ſæpius actum eſſe novimus R. A. zu Augſpurg *Anno 1555. §.* Und auff dem fall. R. A. zu Regenſpurg/ *anno 1654. §.* Und wann der Kraiſ Oberſte. R. A. zu Augſpurg/ *anno 1582. §.* Und zu noch mehrer. R. A. zu Franckfurt/ *anno 1596. §.* Demnach und damit dann. His ſuccedunt illi qui tempore belli duces declarantur. quod non à ſolo Imperatore, ſed communi omnium Ordinum ſuffragio fieri ſolet. R. A. zu Augſpurg/ *anno 1500. Tit. des Reichs Hauptman betreffende. Reiterbeſtallung zu Speyer/ anno 1570 §.* Item der Oberſte.

X X X I I I I

Judiciorum in noſtra rep. non eadem ſemper fuit ratio. Olim temporibus Regum Francorum judicijs præfuerunt partim concilium omnium Ordinum, partim Rex ipſe, partim à Regibus conſtituti varij Duces & Graviões ſeu Comites cum Scabinis aſſeſſoribus, partim Epifcopi, partim denique Legati ſeu, uti illa tempeſtate vocabantur, Miſſi regij. In ipſo Regio palatio fuere cauſæ judicatae partim per ipſum Regem partim per Comitem Palatij: ad hunc deferebantur lites, quæ vel alibi non decidi potuerunt per provocationem partium, vel quæ circa ipſum Palatium Regium aut in aula naſcebantur. Res vero majoris momenti arbitrio Comitis Palatij erant exemptæ. Nam Regum cauſæ pertinentes ad reip. adminiſtrationem agitantur in publicis Regni Comitijſ; Principum vero controverſiæ in Parium Principum concilio coram Rege aut Caſare dijudicabantur. Vid. Ampliſſimi Dn. Præſidis *Differt. de Judicijs Regn. Germ.* ubi omnes mutationes quæ circa rationem judiciorum contigerunt accurate perlequitur.

X X X I V.

Hodie in nostra Republica sunt duo suprema tribu-
 nalia; alterum vocatur Camerae iudicium das Kaysertliche
 Cammergerichte/ alterum vocatur Consilium Aulico-Impe-
 ratorium der Reichs Hoffraht. Illud à Maximiliano I Im-
 peratore omnium Statuum consilio Anno 1495 institutum,
 ut esset supremum iustitiæ domicilium, singulare Imperij
 civium perfugium, atque adeo extremum juris asylum,
 das Oberste und letzte Gericht R. A. zu Auspurg/ anno 1530 §.
 Siweil nun Unser. Vt autem constet quomodo de hoc
 iudicio in Imperij Comitij deliberetur, ad hæc tria capita
 erit respiciendum: 1 ad personas iudicantes, 2 res quæ ve-
 niunt in consultationem & personas iudicio subjectas, 3
 ad modum procedendi. In hoc multum operæ à Cæsa-
 re & Imperij Statibus collocari, testatur Ordin. Cam. pas-
 sim: istud non minori diligentia tractari, apparet ex *Ord.*
Cammer. Tit. 27. Weiter ordnen setzen und wollen wir/ daß
 alle und jede Personen und Sachen die der Kaysertlichen *Ju-*
risdiction ohne mittel unterworffen / und durch sondere Austräg
 dieser Ordnung oder anderer Privilegien/ Freyheiten / gewil-
 führte und rechtmessige gewonheiten / nicht außgenommen sind /
 an dem Kaysertl. Cammergerichte fürgenommen und gerechts-
 fertiget werden sollen. Hanc propositionem fusè explicat
Limn. Tom. 3. Iur. public. l. 9. cap. 2. n. 112. & seq. Ad illud
 denique summam diligentiam Proceres nostros conferre
 liquet ex *Ord. Cam. part. 1. Tit. 3. Cammergerichts Ordnung*
zu Auspurg / anno 1500. tit. Und Erstlich des Articals halber.
Cammergerichts Ordnung zu Costens / anno 1507 in pr. Instr.
Pac. Artic. V §. Præterea. Iudicium Aulicum originem du-
 cit ab eo tempore quo Imperatores Iudices Aulicos Hoff-
 richters constituerunt; qua de re vide Constitutionem Fri-
 derici

derici II anno 1236 promulgatam apud Goldastum *cap. 24.*
ut & Rudolphi I apud Lehmann. *lib. V Chron. Spirens cap. 108.*
p. 630. Hoc iudicium cum summo sit per Germaniam loco,
nullaque fortassis parte minus Camera Spirensi, nemini
non apparet, in illud multum curæ cogitationisque in
Imperij conventibus derivari. Declarant hoc literæ Sta-
tuum in Comitijis Ratisbonensibus anno 1641 Imperatori
exhibitæ, in quibus diligenti reformatione iudicium Au-
licum indigere, non dubitarunt asserere. *Limn. Tom. 4.*
iur. publ. in Addit. ad lib. 9. cap. 4. Vid. Instr. Pac. Artic.
V. §. 20.

XXXV.

Cum anno 1648 Osnabrugis divina gratia bellum
civile acerbissimum restingueretur, *Artic. IIX* ita cautum
fuit: *Habeantur Comititia intra sex menses à dato ratificata pa-*
cis die. Postea vero, quoties vel publica utilitas aut necessitas
postulaverit. In proximis vero emendentur imprimis antero-
rum conventuum defectus: ac tum quoque de Electione Romano-
rum Regum certa constantique Casarea Capitulatione concipien-
da: de modo & ordine in declarando uno & altero statu in ban-
num Imperii præsertim qui alias in Constitutionibus Imperii de-
scriptus est, tenendo: redintegrandis circulis: renovanda matri-
cula: reducendis Statibus exemptis: moderatione & remissione Im-
perii collectarum: Reformatione Politicæ & iustitiæ, taxæ sportu-
larum in iudicio Camerali: Ordinariis Deputatis admodum &
utilitatem Reip. rite formandis: legitimo munere Directorum
in Imperij collegiis & similibus negotiis, quæ hic expediri nequi-
verant, ex communi Statuum consensu agatur & statuatur. Et
paulo post: De indaganda aliqua ratione & modo & c. hæc
quomodo in proximis Comitijis fuerint pertractata fusè ex-
plicat Auctor der Grundfeste des Heil. Römischen Reichs part. 3.

Licet

Licet vero Status Imperii multa indecisa reliquerint, tamen illa omnia Comitiorum objectum constituere non est quod dubitemus. Verum de ijs quæ ad materialem causam attinent fortasse plus satis.

XXXVI.

Accedimus itaque ad causam formalem Comitiorum quæ in modo deliberandi consistit. Illorum vero quæ ad modum pertinent alia magis sunt essentialia, alia quasi accidentalia, quæ ad Comitiam in quantum sunt talia non pertinent: solent tamen comitari. Antequam autem illa explicemus, nonnulla de tempore & loco Comitiorum erunt præmittenda. Tempus quod attinet: olim in Imperio nostro Comitiam generalia quotannis fuere celebrata. Memoratu digna sunt hac de re verba Hincmari Archiepiscopi Remensis hominis ut dignitate summi ita rerum Regni Francici suo ævo peritissimi. Habentur autem illa *Epist. 14. c. 29. p. 211: Consuetudo, ait, tum temporis talis erat, ut non sæpius sed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium; quod ordinatum nullus eventus rerum nisi summa necessitas quæ similiter toti Regno incumberebat, mutabatur. Et cap. 30: Ceterum autem propter dona generaliter danda aliud placitum cum senioribus tantum & præcipuis consiliariis habebatur, in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se præmonstrabant, pro quibus necesse erat præmeditando ordinare. Si quæ interea in republica emergebant quæ omnium Ordinum consilio erant expedienda, nec moram patiebantur extra Ordinem Comitiam indicebantur, uti hoc videre est auß dem Königlichem Landtsfriede zu Wormbs anno 1495. 117. Von der überfahrer des friedens enthaltung.* Quia vero huiusmodi negotiorum numerus in dies singulos crescebat

& conventus anni ingentem vim pecuniæ absumebant, horum loco Conventus Regimenti institutus est. Regimento vero post expirante Anno 1512 de novo Comitia introducta sunt *R. A. zu Trier und Cölln anno 1512. §. Item haben wir und die Stände. donec restituto à Carolo V Regimento iterum tollerentur, Ordnung des Landfriedes zu Wormbs anno 1521. tit. Von des Regimentes macht wieder die Friedbrecher.* Nihilominus ubi de rebus magni momenti agendum erat, extra ordinem Status convocari in more mansit. Quod tamen ne justo sæpius fieret, insequentium Imperatorum Capitulationibus fuit præcautum. Hac provisione an opus fuerit valde dubito. Siquidem experientia docuit, summa reip. necessitate cogente, hoc imprimis seculo, Ordinum convocationem sæpe fuisse neglectam. Vid. Hippol. à Lapide *Dissert. de Ratione Status part. 2. cap. 3.*

XXXVII.

Hæc res fortasse causam dedit legis Osnabrugis promulgatæ, quâ cautum fuit, ut toties Ordines convenirent, quoties id publica utilitas aut necessitas postulaverit. *Artic. 8. §. Gaudeant.* Quamvis autem hæc constitutione majorem Comitiorum frequentiam introducere Status Imperij intenderint, tamen reip. salutem per illam non videtur omnino ex parte satisfactum esse. Fieri enim facile potest, ut, quando Comitia celebranda sunt, hæc vel illa pars prætendat, nullam utilitatem aut necessitatem adesse quæ deliberationis publicæ institutionem suadeat. Quod sane permovit Deputatorum legatos, cum ante paucos annos Francofurti ad Moenum Capitulatio Leopoldi I conficeretur, ut hoc monitum Electorum collegio exhibuerint. *Daß der zukünftige Römische Kayser zum wenigsten alle 6 Jahr/und sonst*

sten so offte es die nothdurfft sicherheit und ruhestandte des Reichs
erfordert mit wissen und willen derer Churfürsten einen allges
meinen Reichstag ohne auffschub und verlengerung ausschrei
ben und halten solle. Exstat apud *Auctorem* der Grundfeste
part. 1. cap. 3. Facit huc etiam particula aliqua des Crays
tags Abschieds zu Lüneburg / anno 1652. 7. Novembr. quam re
fert *Limnæus Tomo Vto Iuris public. in Addit. ad libr. 9. cap.*
1. n. 29.

XXXIIIX.

Quoniam de loco habendorum Comitiorum pauca tra
dere consilium est, primum veniat in mediū antiqua ratio.
Notandum autem est quod prisci Imperatores Roncaliis
(qui est locus amœnissimus ad Padum situs) sub dio latissi
mis in campis curiam regni Italici habuerint, vti hoc liquet
ex aliquot constitutionibus nostri Codicis quæ in illis sunt
promulgatæ *Auth Habita C. ne filius pro parte, ex Constitutione*
Lotharii quæ extat 2. Feud 52. Moris quoque fuit in urbibus,
tales conventus instituti, ita Constantino III placuit Arela
tum *Goldast. Tom. 3. Const. Imp. p. 1.* Carolo Magno Mogun
tia, Friderico III Francofurtum *Lehm. lib. 5. Chron. spir. c. 78.*
p. 582. Hodie in *A. B. Art. 2. p.* cautem extat, ut is qui in
Regem Romanorum electus est, primam suam Regalem
curiam Norimbergæ habeat. Quia vero Carolus hujus
sanctionis auctor illam exceptionem, nisi legitimum im
pedimentum obstiterit, admittit, Imperatores contra il
lam legem non peccant, qui alibi quàm Norimbergæ pri
mitus Imperialem curiam erigunt. Etenim asserendum o
mnino est, justas rationes impedivisse, quo minus scripta
lex observari potuerit. Et vero ipse Carolus V cur Norim
bergæ prima non celebraverit Comitiam, non rejiciendam
causam dat, *Diemeil er der sterblichen Lust halber den Reichs*
tag

tag zu Nürnberg nicht habe halten wollen / habe er solchen gen
Wormbs angeſeher / R. A. zu Wormbs *in pr.* Non leuioreſ
facti ſui rationes reddunt Maximilianus Imp. R. A. zu Auſ-
ſpurg / anno 1566. §. Wiewol dann leßlich nach. Matthias Imp.
R. A. zu Regenspurg / anno 1613. §. Wiewol dann / & Fer-
dinandus III. R. A. zu Regenspurg / anno 1641. §. Damit wir:
Extra hunc caſum, Imperator quorſum velit Status con-
vocare poteſt, modo locus intra limites Germaniæ ſitus
ſit, uti hoc Carolo V præſcriptum legimus in ejus *Capitu-
lat. Artic. 12.* Huius rei ratio facile dari poteſt, ſi modo per-
pendimus maiores ſumtus requirere itinera ad externa lo-
ca quam ad propinqua in Imperio, nec eſſe ex re Ordinum
ut à ditionibus ſuis longius ſecedant.

XXXIX.

Præter hæc illud quoque diſquiſitionem meretur: an
electio loci ab Imperatoris arbitrio dependeat, an ab Ele-
ctorum, an ab utrorumque? Si ea quæ jam dicta ſunt recoli-
mus, cogimur pronunciare, Imperatorem ſimpliciter qui-
dem hic abſolutum non eſſe, ſed adſtringi nominare lo-
cum vel ſecundum legem vel ſecundum commoditatem
Imperii, Quod lege ipſius poteſtas limitetur, videre eſt ex
A. B. Artic. 28. ubi prima Comitia Norimbergæ celebrare
jubetur. Quod commoditatem Imperii non minus atten-
dere debeat, docet, R. A. zu Wormbs / anno 1521. §. Und ſol
obgemeldet. Vid. *Limn. in Nor. ad capit. Carol. V Artic. 12. p. 195.*
Hodie poſtquam capitulatio Leopoldi I legibus Imperii
acceſſit, extra controverſiam eſt, Imperatorem neq; locum
ubi Comitia haberi debeant neque tempus ſolum deter-
minare poſſe. Ita enim verba Capitulationis habent *Ar-
tic. 17.* Und ſonderlich keinen Reichstag auſſerhalb des Reichs
ſüßlicher nation, auch ehe und bevor wir darzu umb der ſieben
Chur-

Churfürsten consens und verwilligung durch sonderbahre
schiebung angehalten / und uns mit denselben so wol derzeit als
mahlsat verglichen / oder sie von selbstem des Reichs Anliegen
halber uns darumb unterthänig angelanget und erinnert / vor-
nehmen oder ausschreiben.

XL.

Præmissâ illâ tractatione proximum fuerit ipsam Co-
mitiorum formam penitus considerare. Primum igitur
Imperator habito Electorum consilio literis ad singulos
Ordines missis edicit, quis dies & locus Comitij futurus
sit. Literis illis Cæsaris redditis Principum & Statuum
officium est, comparitione sua Imperatori obsequium,
laboranti patriæ auxilium, suppressis vero consilium
exhibere. Ubi statim potest quæri, utrum sit condu-
cibilius si Principes ipsi adsint, an si eorum Legati com-
pareant. Quamvis multi personalem comparitionem
improbare non vereantur, tamen illa longe melius
reipubl. consuli nullus dubito. Hac enim ratione,
non tantum summa deliberationibus auctoritas concilia-
tur, sed etiam negotia feliciter expediuntur. Contra si Le-
gatis vices illi suas demandent, sæpe videas in consultando
lentius procedi, imprimis si quæstiones novæ veniunt de-
cidendæ, nunciisque absolutis mandatis non sunt instructi.
Tum enim animis summopere tardantur, metuuntque ne
quicquam approbent quod à Dominorum voluntate ab-
horreat. Reinkingk. *de Regim. secul. & Eccles. lib. 1. Class. V.*
c. 8. n. 41. Olim in Regno Francorum ipsi Principes ad-
venerunt, nec ulli licuit absque justa & urgente causa legatum
substituere, unde factum est ut non plures quam duo vel
tres legati Comitij interfuerint. Lehm. *lib. 2. Chron. Spir.*
c. 37. Verum ab hoc laudabili more sequentibus tempori-
bus non cum exiguo reip. detrimento fuit recessum. Ho-
dicque

dicque cuilibet Statuum integrum est velintne personaliter accedere, an alium vice sua ablegare. Lamp. d. 11. part. 3. c. 8. n. 3. Quin à temporibus Maximiliani Imperatoris, imo jam ante, Ordines hanc potestatem sibi sumere, ut neq; ipsi comparuerint nec Legatos miserint. Quo casu tamen ea quæ in Comitijis decreta sunt non aliter observare tenentur, ac si ipsi præsentibus fuissent, uti liquet ex R. A. zu Trier und Colln. Anno 1512. §. Es sollen auch, & ex clausulis quæ literis Cæsareis quibus ad Comitiam vocantur Status annecti solent. Talis clausula extat apud Arum. d. 11. c. 5. n. 41. Quando autem extremum reip. fatum exigit, ut ipsi Ordines præsentibus sint, nihil impedit, quo minus Imperator illos ad personalem comparitionem serio adhortetur. Ita Ferdinandus Rex Romanorum Anno 1555. tum per literas tum missis internuncijs Principes hortatus est, ut ipsi ad Comitiam venirent, nec rem per Legatos agerent; sic enim causæ magnitudinem postulare. Sleid. de Statu religion. l. 25. p. 706. Idem confirmare videntur R. A. zu Wormbs Anno 1545. §. Und seind. R. A. zu Augspurg. Anno 1540. §. Diweil wir. Si tamen prægnans & justa causa præsentiam & comparitionem personalem impediverit, licitè etiam in extrema reip. necessitate poterunt emanere.

XLI.

Quando jam Status vel eorum Legati locum Comitiorum accesserunt nihil prius habere debent, quàm ut prævia mandatorum oblatione sibi aditum ad Imperatoriam Majestatem concedi petant. Cui voto si annuitur, ad palatium Cæsareum se conferunt, & observatis consuetis solennitatibus Imperatori pro benevolâ ad Comitiam vocatione gratias agunt, fidemque & mutuum auxilium in futuris deliberationibus promittunt. Legati vero cum primis tenentur Dominorum suorum absentia rationes

nes

nes reddere. R. A. zu Trier und Cölln Anno 1612. §. Es sol-
len auch die Churfürsten. Quod si factum est, Mareschal-
lum Imperij Comitem de Papenheim de adventu suo cer-
tiores facere debent, quo id quod sui est officij commode
præstare queat. Incumbit autem illi, ut hospitia designet
ac nomina adscribat, rei annonariæ curam habeat, & de-
nique nocturnas vigilum excubias indaget. Uti tradit Six-
tus Sommer quondam Vicemareschalli de Papenheim
substitutus in singulari scripto de officio Vicemareschalli
quod integrum Carpzov. inseruit operi *de Leg. Reg. Germ.*
c. 10. sect. 6. num. 28. Adde Rumel. *ad Aur. Bull. part. 2. Diss.*
3. th. 14. Denique illis incumbit, ut nomina sua apud
Cancellariam Electoris Moguntini profiteantur, eidem-
que mandata sua seu literas fidei, quas vulgo Credentias
vocant, exhibeant Reinkingk. *de Reg. sec. & Eccles. l. 1. Class.*
V. c. 8. num. 52. Et quamvis Auctor des berichts wie es
auff Reichsversambl. gehalt. existinet, quod civitatum de-
putati ab exhibitione mandati sint immunes, aliud tamen
usu observari docet Philipp. Knipschild. *Tr. de jurib. &*
privil. civ. Imper. lib. 2. c. 2. num. 126. quod etiam convenit
cum R. A. zu Wormbs Anno 1545. §. Dem allen nach. R. A.
zu Regenspurg Anno 1546. §. Dieweil wir aber.

XLII.

Atq; hætenus de Statuum adventu. Proximum jam erit
ut de propositione & consultatione agamus. Jus proponendi
solus Cæsar habet, nec cum reliquis Statibus idiplum com-
municat. Quamvis autem in literis evocatorijs certus dies
denominetur quo consultationum initium fieri debeat,
tamen experientia docet, tantas hic moras necesse, ut Status
Imperij vitandorum sumtuum causa fuerint permoti se-
rius comparere. In hoc cum nostram reipubl. Proce-
res Imperij valde laborare viderint, nuperrimè consulta-

runt quâ ratione certum idque breve temporis spatium
inveniri possit intra quod deliberationum capita Ordini-
bus proponerentur. Cum Anno 1654. à Ferdinando III
gloriosissimæ memoriæ Imperatore Status Imperij Ratis-
bonam vocarentur, integrum trimestre fere præterit an-
tequam propositio fuit aperta; hujus rei causa quodam-
modo colligi potest ex *R. A. Anno 1654. S. Nach dem sich
aber.* Sed luculentius apparet ex Auctore *der Grundfeste
part. 1. cap. 1.* qui ex actis illorum Comitiorum veram
rationem diligenter indagavit. Cum vero Cæsareæ
Majestati materiam Comitiorum exponere placet, solet
Vicemareschallo injungi, ut Statibus Imperij & absen-
tium Legatis horam audiendæ propositioni destinatam
denunciet. Quod si ab eo præstitum est, condicito tem-
pore in palatio Imperatoris omnes comparent. Et cum
nihil magis Christianos deceat, quam ut omnia cum in-
vocatione Spiritus S. incipiant, monente Apost. Paulo *ad
Coloss. 3. vers. 17.* sub initium quoque deliberationum
tam arduarum Status omnes qui præsentem sunt unâ cum
absentium Legatis Cæsarem in templum comitantur,
ibique pro felici consiliorum augurio preces ad Deum
fundunt. Peractis sacris Imperator solenni pompa cum
Electoibus Principibus & Ordinibus in curiam pergat,
tumque Cæsar aut ejus Commissarius in locum eminenti-
orem concedit, Electores paulò depressiori circumsi-
dent. Deinde alia subsellia uno gradu Electorum infe-
riora conspiciuntur, in quibus Principes eorumque Lega-
ti qui absunt, sessiones suas subintrant; Civitatum vero
Imperialium Legati extra limites augustissimorum horum
collegiorum peculiarem locum occupant. Ita refert Au-
ctor *der Grundfeste part. 2. cap. 2.*

XLIII, Sed

Sed quæ hic sese lites offerunt! quam vehementi animorum contentione Principes de sessionibus inter se digladiantur! Quantum ad Electores tam Ecclesiasticos quam Politicos attinet, sessionum quæstionem dudum finit & determinavit *A. B. Art. 3. & 4.* Inter Principes vero disputandi nec finis nec modus. Negari quidem haut potest, illos laudem mereri qui non ambitu & superbia de ordinis observatione contendunt; sed illud dolendum, quod inter Principes Imperij hæc controversiæ tum quam maxime agitentur, cum de reip. negotijs est consultandum. Nam, uti habent verba *R. A. zu Regensburg. Anno 1603. §. Der in dem. ibi.* Von wegen mißhelligkeit des Sessionstreits wird se zuweilen des Reichs gemeine obligen und vorkommende Nothdurfft zurück gehalten/ auch ungleiche affection dahero verurthsachet. Eadem incommoda cum Maximilianus I jam suo ævo animadverteret, illas lites componendi cum Statibus Imperij rationem inire certam decrevit, uti apparet ex *R. A. zu Augspurg Anno 1500. Tit. Wie die irrungen der Session &c.* Sed nihil subsequenter Comitibus nisi protestationes & reservationes insecutæ fuerunt; sicuti demonstrat *Arum. Tract. de Comit. cap. 7. num. 106. & seq.* Ut sane metendum sit, has contentiones perpetuas fore; nisi ex veteri observantia possessionisque actibus & usu definiantur. *Coler de Jur. Imper. Germ. sect. 67.* Interim recte faciunt ij Principes, qui in Comitibus ad tempus alijs cedunt, simulque protestatione jus suum conservant, uti hoc videre est ex *R. A. zu Augspurg Anno 1555. §. Es sollen auch. R. A. zu Regensburg Anno 1613. §. Und soll.* Hoc remedio in Comitibus Anno 1654. Ratisbonæ habitis compositæ sunt lites familiæ Altenburgicæ & familiæ Vinariensis, quæ à multis annis intercesserunt, sicuti memorat Auctor der

Grundfeste part. 2. c. 1. Meretur etiam consuli *cap. 5.* ubi ordinem sessionum tum temporis observatum diligenter exponit. Quo ordine in Comitibus qui hodie Ratisbonæ celebrantur Principum legati sedeant, videre est ex Diarii Europæi *part. 10. p. 33.* De Jure proedriæ vide late differentem Andream Knich. *de Saxon. non provoc. jure & privil. verb. Ducum Saxon. cap. 2. & Carpzov. de leg. Reg. German. c. 10. sect. 7.*

XLIV.

Quando jam in curiam ventum est, omnesque Ordines sessiones suas tenent, Imperator per aliquem ex ordine Principum Statibus gratias agit pro obsequio præstito & simul petit ut illa diligenter percipiant quæ mox propositurus sit. Quo facto Secretarius aut alius cui hoc à Cæsare est demandatum materiam tractationis jam tum in scripturam redactam publice prælegit. Recitatâ propositione ipsemet Cæsar Status hortari solet, ut de propositis capitibus sedulo deliberent. Quo peracto Electores, Principes, Ordines & Legati consurgunt, & paululum collocuti, ut plurimum per Moguntinum vel ejus Cancellarium gratias agunt Cæsari pro cura & affectione paterna erga Imperium, simulque promittunt, se nihil in consultando prætermisuros quod ad salutem & dignitatem Imperij pertinere visum fuerit. Ut autem de rebus propositis rectius deliberare & sententias suas in medium afferre possint, copiam recitatæ propositionis sibi edi eâ quâ decet reverentiâ petunt. Quâ impetratâ, Imperator de throno surgit, eodemque quo ingressus est comitatu ad palatium suum revertitur. Tob. Paurmeister *Tr. de Jurisdictione. lib. 1. cap. 2.* Lehm. *lib. 7. Chron. Spir. c. 124.*

XLV.

His ita peractis, more receptum est ex Cancellaria Mogunti-

guntinensi ViceMareschallo de Papenheim schedulam
mitti, in qua Ordinibus horam instituendis deliberatio-
nibus praestitutam denunciare jubetur. Si Elector Saxo-
niae ipse praesens est, haec schedula ipsi exhibetur, à quo de-
inceps eam ViceMareschallus accipit. Ille si officio suo
est perfunctus, Ordines statò tempore ad ferenda suffragia
reversi iterum in tres classes dividuntur. *Lehm. lib. 7. Chron.
Spir. c. 124. p. 1014. Lampad. d. tr. p. 3. c. 8. §. 5.* Olim po-
tientibus rerum Francis illi qui in Comitijis de Regni ne-
gotijs deliberabant, in duos Ordines dispescebantur. Alij
vocabantur Seniores alij Minores. Potest hoc perspici ex
ijs quæ ex Adelhardi propinqui Caroli Magni & Consi-
liarij libello de ordine Palatij recitat Hincmar. *Epist.
14. cap. 24.* *In quo placito, ait, generalitas universorum
Majorum tam Clericorum quam Laicorum conveniebat: Se-
niores propter consilium ordinandum, Minores propter idem
consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum, &
non ex potestate sed ex proprio mentis intellectu vel sententia
confirmandum.* Ex his simul fit, manifestum, hanc Ordini-
um in tres classes divisionem illius ævi scriptoribus pla-
ne fuisse incognitam. Cuinam vero tempori hujus rei
origo adscribenda sit difficile est pronunciatu. Videri qui-
dem nonnemi possit statim post Fridericum II Ordines
ita dividi coepisse, quod tum ad Officiales Imperij jus
eligendi Cæsares pervenerit, docente Ampliss. Dn. Præside
in *Dissert. de Elector.* Sed decreta Comitiorum post Fri-
dericum II habitorum plane contrarium demonstrant.
Tantum enim abest ut in illis seorsim Electorum fiat men-
tio, ut potius reliquis Principibus annumerentur. Igitur
tutius erit si Lehmanno adstipulemur qui Anno 1489.
imperante Friderico III Status Imperij in tres classes
distinctos fuisse arbitratur *lib. 7. Chron. Spirens. c. 120.*

XLVI. In

In Collegio Electorum à temporibus Caroli IV illa sedendi ratio obtinuit, quæ in A. B. *Artic. 3 & 4.* est præscripta. Postquam autem in Instrumento Pacis *Artic. 4. §. Et primo.* octavus Elector fuit constitutus, hæc res non nihil mutavit. Hodie igitur Moguntinus primum locum occupat, cujus dextro latere primâ vice sedet Elector Trevirensis, secundâ Elector Coloniensis. Deinde Elector Baviaræ & Elector Brandenburgensis succedunt. A sinistro Moguntini latere post unum ex dictis Electoribus Ecclesiasticis Elector Saxoniarum & Palatinus conspiciuntur. Hoc ita ab Electorum collegio in Comitibus Ratisbonensibus Anno 1653. fuit determinatum, ut liquet ex decreto quod refert Speidelius *in Speculo sub lit. F. pag 1009.* Eodem ordine Legati absentium sedere solent. Si vero unus vel plures Electores sunt præsentibus, cedunt illis remanentium Legati, etiamsi eorum Domini si adessent illos præcederent: uti apparet ex jam allegato decreto Comitiorum Ratisbonensium. In votando is ordo observatur qui à Carolo IV in A. B. *Artic. 4.* est præscriptus; ita ut Elector Moguntinus primo omnium à Trevirensi votum requirat, deinde etiam à sequentibus Electoribus: quod si factum est Elector Moguntinus à Saxoniarum interrogatus reliquis suum quoque votum addit. Gerlac. Buxtorff. *ad A. B. rh. 59.* Quod si contingat, ut semel votis omnium exploratis neque omnes nec quatuor minimum consentiant, secundâ tertiâ & tot vicibus vota de novo exquiruntur, donec vel omnium vota conspirent, quod hodie in puncto concessionis vel prorogationis vectigalium requiritur, vel majora rem decidant. Vid. Auctor. *der Grundfeste. part. 2. c. 4.*

Secundo loco est Senatus Principum, qui in duo, ut vocantur, scamna dividitur. Ecclesiasticum *die geistliche Banc* / & temporale *die weltliche Banc*. Olim in Comitibus Regni Episcopi & Prælati à Principibus secularibus planè separati erant, non minus quàm hodie in provincialibus conventibus Prælati ab Equestri Ordine separatam curiam habent. Lubet in majorem hujus rei lucem adscribere verba Hincmari *Epist. 14. c. 35. Seniorum*, inquit, *susceptacula sic in duobus divisa erant, ut primo omnes Episcopi, Abbates vel hujusmodi honorificentiores Clerici, absque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites vel hujusmodi Principes honorificabiliter à cetera multitudine primo mane segregarentur. Cum separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul vel quando separati residerent: prout eos causa tractanda qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de secularibus seu etiam commixtis.* Ex his colligi potest, Ordinem sacrum à Principum classe idcirco fuisse distinctum, quod plerumque Episcopi de negotiis sacris, Principes autem cum plebeis de profanis seorsim consultarent, nisi gravitas causæ, ut consilia communicarent, exoptularet. Postquam autem omnem potestatem circa religionem Pontifex à Comitibus ad suam ditionem pertraxit, Episcopi quibus dignitates & opes Principum secularium fuerunt concessæ, ad Comitatus Imperij non amplius ut Episcopi sed ut Principes seculares ratione Ducatum & Comitatum vocati sunt. Atque sic unâ curiâ cum secularibus jungi cœperunt.

XLIX.

Ad scamnum spirituale pertinent Archiduces Austriae & Duces Burgundiæ, quibus ob aliquam præeminentiam

G

tiam

tiam, licet sint Principes seculares, locus in hoc scamno fuit concessus; Archiepiscopi & Episcopi qui non sunt Electores, Abbates, quos jam ætate Caroli Magni hujus juris participes fuisse solidè demonstrat Amplissimus Dn. Præles in *dissertat. de Germ. Imp. Civibus* *th. 36.* & denique Magistri Ordinis Teutonici. Licet enim militia non sacrum sed profanum munus sit, ideoque multi dubitent, an illi ad Laicos an ad Clericos referendi sint, quoniam tamen hic ordo propterea institutus est, ut non tam pro patriæ salute quàm honore & incremento Ecclesiæ pugnet; quoniam etiam hi Equites instituta nonnullorum Ordinum religiosorum sequuntur, Ecclesiasticis magis accensentur. Reink. *de Reg. secul. & Ecclesiast. lib. 3. class. 2. cap. 3. n. 29. & seq.*

XLIX.

De Archiepiscopis & Episcopis Augustanæ confessioni addictis hic repetendum est quod supra *th. 14.* attigimus. Hi aliquamdiu à Comitibus Imperij planè fuerunt exclusi; sæpius quidem protestati sunt, sed nihil effecerunt. Tandem per pacificationem Osnabrugensem res ita transacta est, ut non sederent in scamno spirituali, sed seorsim aliquod scamnum medio loco inter Ecclesiasticum & seculare obtinerent. Cumque in Instrumento Pacis illi Archiepiscopatus in Principatus seculares sint commutati, si excipias Archiepiscopatum Magdeburgensem, qui tamen post Reverendiss. Administratorem Dn. Augustum Ducem Saxoniam pro Ducatu habebitur. *Instr. Pac. Artic. 11. §. Similiter.* Episcopatum Lübecensem & Episcopatum Osnabrugensem alternative, *Instr. Pac. Artic. 13.* hinc factum est ut possessores horum Archiepiscopatum & Episcopatum jam sedeant in scamno Principum secula-

cularium. In scamno autem intermedio ferunt suffragia Archiepiscopus Magdeburgensis, Episcopus Lubecensis & in hodiernis Comitibus Episcopus Osnabrugensis, uti colligitur ex *Diar. Europ. part. 10. p. 33.* Ad scamnum seculare pertinent omnes Imperii Principes, Comites, & Barones.

L.

In hoc Senatu Vice-Mareschallus vi officii sui vota colligit. Illa autem valde sunt inæqualia. Etenim Principes Ecclesiastici & seculares, Prælati dignitate ducali coruscantes, & Magistri Ordinis Teutonici viritim suffragia ferunt: Prælati autem non adscripti Principibus non viritim sed curiatim sententias dicunt hodieque duo scamna constituunt. Unum est Suevorum *der Schwäbischen Abte* alterum Rhenanorum *der Rheinischen Abte.* Olim quidem Prælatos duo scamna habuisse testatur Lehmannus *l. 7. Chron. Spirens. c. 120.* sed illud ab usu postea recessit, licetque observare in multis Comitibus Prælatos unam duntaxat vocem dedisse. Wehner. in *Observ. pract. verb. Reichstag.* Tandem vero in Comitibus Ratisbonensibus de Anno 1641. iterum illis fuit concessum, ut in posterum in Senatu Principum Ecclesiasticorum duo suffragia habeant. Limn. *Tom. V. Iur. publ. in Addit. ad lib. 9. c. 1. n. 143.* Comitibus & Baronibus olim quidem duo tantum vota competierunt, ac in duas tribus *die Wetterawische und Schwäbische Banck* divisi fuerunt, Jacob. Lampad. *d. l. 9. 10.* Postea in Comitibus de Anno 1641. Comitibus Franconiae peculiare votum fuit concessum, uti constat ex decreto Cæsareo quod recitat Limn. *Tom. V. Iur. publ. l. n. 143.* Quibus deinde in Comitibus de Anno 1654 accessit nova Comitum Westphaliae & inferioris Saxoniae curias; atque ita hodie quatuor

Comitum scamna numerantur: Svevicorum, Wetteravicorum, Francorum & Westphalorum, quæ alternatim vota sua ad classem Principum secularium transferunt. Cur Westphaliæ & inferioris Saxonix Comites peculiare votum petierint, videre est ex *Limn. Tom. V. Iur. publ. d. l. & cap. n. 143.*

LI.

Huius classis directorium olim solus Archiepiscopus Salisburgensis tenuit: postquam autem inter Archiepiscopum Magdeburgensem & Salisburgensem, inter hunc item & Archiduces Austriæ lites de præcedentia ortæ sunt, tempore Caroli V inter Archiduces Austriæ & Salisburgensem alternatio obtinuit, quæ adhuc usque durat. *Lehm. lib. 7. Chron. Spir. cap. 124.* Si igitur Austriacus uno die primam sessionem, Salisburgensis altero die eandem tenere solet, & qui primum inter illos locum jus simul dirigendi habet. Interim Archiducis partes in omnibus primæ sunt, magna-que utitur potestate quando directorium administrat. Hinc Salisburgensis valde conqueritur sibi æquari Archiducem Austriæ cum dirigendi facultatem precariò tantum acceperit. *Vid. Auctor. der Grundfeste / parte 2. c. 5.*

LII.

Tertius Senatus est Civitatum Imperialium der Freyen Reichs Städte. Quo tempore illæ jus Comitiorum acceperint ex historiarum monumentis firmiter colligi nequit. Christophorus Lehmannus *lib. 4. Chron. spir. c. 3.* probare conatur, jam seculo XII nonnullas civitates ejus auctoritatis ac dignitatis fuisse, ut Cæsares illas non minus ac reliquos Imperij cives ad Comitiam vocaverint. Et sane tempore Friderici I Imperatoris consules civitatum Italiae publicis regni Comitibus interfuisse, docemur ex decretis Comitiorum

tiorum ab eorum Imperatore ad Roncalias habitorum,
quæ possunt videri apud Goldast. *Tom. 2. Const. Imper. p. 335.*
Idem comprobatur juramentum ejusdem Friderici I Stati-
bus Imperii præstitum, quod ita habet: *In Christi nomi-
ne juro, non solum Principum sed civitatum consilio negotia con-
fæderationis & collegia universitatis tractanda esse.* Verum
hæc testimonia manifestò de urbibus Italiæ loquuntur,
quas jam dudum ad conventus Regni Italici vocatas fuis-
se certum est: Urbes vero Germanicæ hac ætate longe
inferiori conditione fuerunt, ut optime docet idem
Lehmannus *eodem capite.* Decimo quarto tandem à nato
Servatore seculo paulatim ad Comitatus fuerunt admittæ,
earumque, consensus ad constituendum certum Imperij
decretum cœpit implorari. Hinc in Caroli IV *A. B. in
fin. pr.* cæteris Imperij Statibus annumerantur. Vid. Ampliss.
Dn. Præsid. *Dissert. de Civibus Imperii th 53.*

LIII.

An autem ab hoc tempore civitatibus Imperialibus
semper votum decisivum competierit, de eo non leves
controversiæ inter doctores fuerunt agitatae. Peucerus
s. Chronic. denegavit illis decernendi facultatem, tantum-
que jus in medium consulendi reliquit. Contra Weh-
nerus cæcutire judicavit, qui de jure suffragii civitatum
dubitavit: eandem sententiam amplectuntur Bruning: *de
var. univers. speciebus. concl. 18.* Clüten. *Sylloge rerum quoti-
dian. concl. 27. lit. C.* Ludov. Grempl. & Hieronym. zum
Lambin *in consil. der Erbahren Frey und Reichs Städtien Session
Standt und Stimme belangend.* Knipschild *de privil. civ.
Imperial. lib. 2. cap. 2.* Seculo 15 cum de bello Hussitico
ageretur, civitatibus Imperialibus Sigismundus summo-
perè iavit: quod satis declarant verba ejusdem Imperato-

ris in Reformat. Eccles. de anno 1426. cap. 3. Und ihr würdige
Reichs Städte/ so man alle Welt rechnet so seide ihr doch Glieder
der die an dem Reich etc. Hoc tempore quidem habue-
runt suffragii ferendi potestatem in Comitibus, sed paula-
tim coepit minui, donec plane illis fuit negata. Cum-
primis autem temporibus Caroli V hac de re inter Prin-
cipes & civitates acerrimè disceptatum fuit; hinc Impe-
rator permotus est, illam controversiam ad Cameram ex-
actius disceptandam rejicere. Lamp. d. tr. part. 3. cap. 8.
n. 11. Hodie hæc res minoris est dubij, postquam pacifi-
catio inter Imperium & coronam Sveciæ facta est. Per illam
enim fuit constitutum, ut votum decisivum tam in uni-
versalibus quàm particularibus diætis liberis Imperij civita-
tibus non minus ac cæteris Statibus competat, sicuti so-
nant verba *Instrum. Pac. Artic. 8. §. tam in Universalibus.*
Voluerunt quidem urbes hæc verba Instrumento pacis
inseri: *Quin & Civitatibus Imperialibus tam in universalibus
quam particularibus Imperii conventibus competens votum de-
cisivum iisdem citra controversiam ulterius maneat, & relin-
quatur, adeoque: & correlationes trium collegiorum unico de-
hinc actu simultaneè expediantur.* Sed reliqui Ordines ad
id non potuerunt adduci, quamobrem illa verba mansere,
quæ adhuc in d. *Art. extant* Vid. Auct. *Der Grundfeste/
p. 2. cap. 6.* Sed ne sic quidem controversiæ cessant. In
proximis enim Comitibus rursus à parte urbium fuit peti-
tum, ut & ipsæ ad re & correlationes admitterentur, uti
liquet ex scripto quod duobus superioribus collegiis
tum temporis obtulerunt, sed Principes aculeato scripto
urbium postulatum excepere, in quo non dubitarunt as-
serere: satis esse, si civitates juris decidendi, excepta re &
correferendi potestate sint participes. Hæc duo scripta ex-
tant

tant apud Auctorem der Grundfeste p. 2. cap. 6. Qua ratione igitur Urbibus Imperialibus votum decisivum competat, parum adhuc est exploratum.

LIV.

Civitates Imperiales hodie in duo scamna dividuntur, in die Rhenische und Schwäbische Banck. Illud occupant civitates ad Rhenum, Lubeca, nec non V Vetteravica, Alfatia in Landvogteia Hagenoënsi Saxonica & Thüringica civitates. In hoc resident Svevica & Franconica civitates Knipschild: *de priv. civ. Imp. d. c. n. 130.* Directorium regulariter est penes illam civitatem in qua Comitia celebrantur; hæc peculiari mensæ assidet, & alternatim civitatum legatos interpellat. Quod dum fit, statim cum civitatis Ulmensis & Spirensis Registratoribus, quorum hic nomine civitatum Rhenensium ille nomine Svevicarum accedere solet, vota in protocollum refert ex iisque commune suffragium conficit. *Lehm. lib. 7. Chron. Spir. cap. 124.*

LV.

Cum sæpius dictum sit in singulis classibus secundum majoritatem votorum concludi, forsan ex re fuerit, si de jure majoris numeri nonnulla afferamus. Tantæ autem hoc jus est dignitatis, tantæ utilitatis, ut illius sententia non omni careat fundamento, qui existimet, absque eo societatem scopum sibi propositum difficile obtinere posse. Ea enim est tam intellectus quam voluntatis imbecillitas, ut nulla concors decisio in collegio aliquo unquam sperari possit, nisi parte majore minor vincatur, *l. 17. §. 6. ff. de Recept. qui arbitr.* Hugo Grot. *de jure B. & P. l. 2, cap. 5. n. 17.* Qua de causa in Comitii Imperij expressis

pressis legibus fuit cautum, ut discrepantibus in uno vel altero puncto votis ad pluralitatem respectus habeatur, R. A. zu Trier und Cölln / Anno 1512. §. Es sollen auch die Churfürsten. R. A. zu Worms / Anno 1521. §. Würde sich. Accidit tamen quandoque, ut hæc regula locum habere non possit. In Imperio nostro, lege publica exceptæ sunt quædam causæ, de quibus sic *Instrum. Pac. Artic. V. § 19.* *In causis Religionis omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus considerari nequeunt ut, etiam Catholicis & Augustanae confessionis Statibus in duas partes euntibus, sola amicabile compositio lites dirimat non attendit votorum pluralitate.* Hujus legis summa æquitas ex eo clarescit, quod numerus major tantummodo locum habere possit in negotiis societatis, & quæ ab arbitrio humano dependent; hinc mirum non est ab hac regula causas religionis excludi. Sicuti enim omne gratiæ negotium nemini in mentem venire potest, nisi Deo gratiosum hoc suum arbitrium revelante, ita nec de religioso cultu qui hinc debetur quicquam societas potest constituere, & per consequens nec major numerus.

LVI.

Porro in Conventu Osnabrugis habito fuit quaesitum, an in contributionum materia attendi debeat majoritas votorum. Cum verò res illa non nisi accerrimis contentionibus tum involveretur *d. Artic.* ita cautum fuit: *Quod vero ad pluralitatem votorum in materia collectarum attinet, cum res hæc in presenti congressu decideri non poterit, ad proxima Comitia remissa esto.* Illis Comitibus quidem hæc magni momenti quaestio summo studio ventilata fuit, sed indecisa remansit. Auctor *der Grundfeste /*

p. 3.

p. 3. cap. 7. Senatui Electorum quodammodo placuit majoritas
votorum in materia collectarum: Quod etiam in Se-
natu Principum à Catholicis fuit admissum, sed Civitates
plane in contraria sententia fuerunt ob rationes quas ad-
ducit Limnæus *Tom. V. Jur. publ. l. 9. c. 1. n. 182.* In Senatu
Principum Evangelici distinguendum esse arbitrati sunt in-
ter collectas voluntarias & necessarias. Hæc distinctio
quamvis ab alijs plane rejiciatur, tamen quod non omni
careat fundamento ex sequentibus apparebit. Collectæ e-
nim regulariter sunt quodammodo contra primam inte-
tionem rerum publicarū, nec ullus civis rerum suarum do-
minio sese ita abdicat, ut vel Magistratui vel suo concivi in
illis quicquam pro libitu disponere liceat: Sed propterea
aliquis hujus vel illius reip. civis est, ut bona quæ possidet
salva habeat, nec in illorū fruitione à quoquam impedia-
tur. Unico saltem casu hæc regula exceptionem patitur,
si nempe reipubl. defensio efflagitet, ut de suo etiam ali-
quid illuc impendat. Tum enim danda est opera, ut
omnes intelligant, si salvi esse velint necessitati esse pa-
rendum *Cic. 2. Offic. Geil. 1. Obs. 17. & 2. Obs. 52. & 53.* Quæ
necessitas cum in Imperij constitutionibus & cum primis
in Recessu Executionis definita sit, in libero hujus vel il-
lius Ordinis arbitrio non est positum, num velit tali casu
emergente reip. succurrere, nec ne: sed ad hoc natura-
liter quisque est obligatus. Quod si alia reip. necessitas
immineat, etiamsi in Constitutionibus Imperij non sit ex-
pressa, tamen si illa sit liquida clara & nullâ ratione du-
bia, civem ad id exsolvendum compellit, absque quo resp.
salva esse nequit. His itaque casibus quin majoritas vo-
torum locum habeat non est quod dubitemus. Non
quidem amittunt refragantes libertatem voti sui sed ideo
vincuntur à reliquis civium votis & suffragijs, quia sum-
ma reip.

H

ma reip.

ma reip. necessitas tributum istud postulat, ad ejus solutionem sese omnes cives eo ipso obstrinxerunt: quo in remp. illam cum reliquis civibus coiverunt, aut leges ejusdem agnoverunt. Quando vero nulla reip. necessitas adest aut valde est dubia, aut quando collectæ non in necessitatem reip. sed tantum in necessitatem aut utilitatem petentis indicuntur, liberrimo cujusque Status arbitrio relinquitur, velitne aliquid erogare vel non. Talis controversia si in Imperio oriatur, non numero suffragiorum, sed amicabili compositione decidenda est. Per pluralitatem enim votorum nulli jus quæsitum auferri potest. Warem. ab Ehrenberg. *de subsid. & oner. subdit. c. 5. num. 53.* Zachar. Victor *de causis exempt. Imperij concl. 5.* Besold. *de Aerario cap. 4. n. 2.*

LVII.

Sed revertamur in viam. Postquam igitur unius vel alterius negotij conclusio in Statuum consilijs secuta est, solent re & correlationes institui. Hac fini Electores ut plurimum eo in loco ubi propositio fieri solet conveniunt, & Principum collegio per Cancellarium Electoris Moguntini sententiam suam aperiunt. Finitâ relatione Directores Senatus Principum correlationem instituunt. Si in relatione & correlatione discrepantes sententiæ inveniuntur, utraque classis in peculiarem locum concedit, & ulterius de materia controversa deliberat. Post hanc deliberationem iterum convenitur & à Directorio Principum conclusum Electorum collegio refertur: hocque rursus illi suam sententiam exponit: idque tam diu fit, donec vel commune conclusum eliciatur, aut manifestò appareat hæc duo collegia nulla ratione conciliari posse. Utroque casu civitates Imperiales per Secretarium Cancellariæ Moguntinensis ad commune buleuterium vocantur

tur, ibique illa in quibus Electores & Principes consentiunt vel dissentiunt, exponuntur; simulque coguntur ut & ipsi suam mentem de hoc vel illo puncto aperiant. Huic admonitioni mortem gerunt, & per Directorij Syndicum suam sententiam explicari curant. Hoc si factum est, statim fit manifestum, an duobus superioribus collegijs adstipulentur, an diversam ab illis opinionem amplectantur. Hæc Statuum sive concors sive discors sententia per certos Deputatos Cæsareæ Majestati refertur. Ita tradunt Lehm. l. 7. Chron. Spir. c. 124. Limn. Tom. 3. Jur. publ. l. 9. c. 1. num. 160. De Deputatis vide Auct. der Grunds. feste p. 2. c. 6. ubi lites circa hoc negotium proxime agitatae diligenter exponit.

LVIII.

Hoc commune Ordinum consultum si Cæsari placeat, fit decretum: sin minus, hinc & inde replicant, duplicant, adductis suæ sententiæ rationibus, donec alterutra pars in alterius sententiam concedat. Si vero Cæsar & Ordines hac ratione non possunt componi nonnulli existimant, tali casu emergente Imperatoris sententiam prævalere, eamque Ordinibus legem constituere: Alij non obstante Cæsaris arbitrio Statuum conclusionem sortiri vim Comitialis decreti. Sed quoniam utrumque regiminis nostri formæ plane contrariatur, neutrum videtur admitendum esse. Mihi cum primis placet Lampadij opinio. Ille *Tract. de Rep. Rom. Germ. part. 3. c. 8. num. 7.* ita disserit. *Si convenire nequiverint, neq; Cæsar ex plenitudine ut dicunt potestatis quisquam potest statueret, neq; Ordinum sententia legis habet vigorem.*

LIX.

Postquam igitur omnia negotia quæ Cæsareæ propositio continuit jam sunt decisa, Electoris Moguntini

Directorio incumbit, ut omnes conclusiones quas publice sciri interest, in conceptum alicujus Recessus redigat; quod Deputatis ex universo Senatu hunc in finem prælegitur ut cognoscant, an illa, quæ à Cancellaria Moguntinensi literis consignata sunt, omnium votis exactè respondant. Huic actui hodie longe plures Deputati interesse solent ac olim fuit factum, uti hoc Auctor *der Grunds feste* ex actis Comitiorum Ratisbonensium de Anno 1654. probat. Secundum illud conceptum jam verus Imperij Recessus conficitur, ejusq; duo exemplaria pergamento inscribuntur quibus eo ordine ac modo Imperator & Status nomina & sigilla apponunt, qui à *Lehm. l. 7. Chron. Spir. c. 124.* & jam dicto Auctore describitur. Tandem Imperator, ut Comitiale decretum in viridi sit observantia, omnesque Ordines amplio rem illius habeant scientiam, jubet illos denuo comparere; quod si fit non solum per Cancellarium Moguntinum Recessum prælegi curat, sed etiam illos ad debitam legibus Imperij observantiam præstandam sedulo adhortatur. Deinde unum Recessus originale in *des Reichshoff Canselen* / alterum in *des Reichs Canselen* apud Moguntinum deponitur: illiusque tandem copia Camerae transmittitur, ut secundum eam processus dirigatur ac causæ litigantium decernantur. *Befold. in Thesauro pract. verb. Reichsabschiedt.* Et sic ea quoque quæ ad causam formalem pertinent, exposita sunt.

LX.

Transeamus ad causam finalem. Quemadmodum autem finis alius est remotus seu universalis, ad quem vel omnia vel multa quæ ad commune aliquod negotium faciunt, collimant, alius proximus seu particularis, qui plerumque universalem illum proscopo habet, docente *Amplissimo Dn. Præsidi cap. X, libr. de civ. prudentia*, duplicem

phicem etiam Comitiorum esse finem arbitramur: 1. ex-
 actam illorum decisionem, quorum causa Ordines fue-
 runt convocati, atque hæc constituit finem proximum.
 2. Salutem civium seu, ut Græci loquuntur, *ἰουδαίον*, ad
 quam ceu finem ultimum omnis deliberatio debet col-
 limare, & efficere ut plerumque civibus bene sit, vitam-
 que possint traducere in rerum sufficientia & virtutum
 exercitio. Cumque duo sint rerum civilium momenta
 bellum & pax: *Dividitur enim omnis vita in negotium &*
otium, & bellum & pacem docente Philosopho *lib. 7. Pol.*
cap. 14. & proæm. Inst. Status Imperij id simul curare
 debent, ut utrumque tempus ad communem tam impe-
 rantium quam parentium utilitatem recte possit guber-
 nari. Sicuti hoc etiam observatum fuisse, Recessus Impe-
 rij debitâ diligentia evolvantibus manifestò apparet.

LXI.

Hactenus præcipua quæ de Comitijis universalibus
 afferri potuerunt persecuti sumus, ut jam nihil superesse
 videatur, quod nos ulterius detinere queat. Itaque in hac
 quidem tractatione pedem figere licet. Quoniam vero supra
 Comitiam in universaliam & particulariam dispescimus, placet
 pauca etiam de his in medium afferre. Sunt autem par-
 ticularia Comitiam quando duntaxat pars Statuum conve-
 niunt. Lampad. *d. l. n. 15.* Hæc Comitiam antiquissimis
 olim temporibus in usu fuisse testatur Hincmar. *Epist. 14.*
6. 29. Güntherus *in Ligurino. lib. 8.*

*Ergo sacros tantum Patres jurisq; peritos
 Et de primoribus paucos, quibus ipse timorem
 Norat inesse Dei, tacitis Fridericus adaptans
 Colloquiis.*

Inter conventus particulares primum locum sibi vendi-
 cant conventus Deputatorum. Qui sunt duplicis generis.

H 3

Alij

Alij enim in ipsis Comitijis ad negotia quæ ibi sub mani-
bus sunt tractanda instituuntur, de quibus agit Auctor
de Grundfeste *part. 2. c. 7.* Alij extra Comitia univer-
salia indicuntur, qui strictè conventus Deputatorum De-
putation *Tage* appellantur. Hi Deputatorum conven-
tus decreto Augustano Anno 1555. eam ob causam in-
stituti sunt, ut motus graviores quibus compefcendis cir-
culorum vires non essent pares in illis componerentur;
Deinde ut illa negotia quæ ijs Comitijis universalibus ex-
plicari non possunt à Cæsare & Ordinibus delectis illic
expedirentur, *R. A. zu Regenspurg Anno 1594. §.* Als wir den:
Hoc ut eo melius fieret in aliquot Comitijis certis Statibus
hæc cura demandata fuit, quos omnes nominat Befold, in
Thesaur. pract. sub lit. D. n. 11.

LXII.

Hic numerus tamdiu placuit, donec inter Imperium
& Regnum Sueciæ pax iniretur. Tum ita fuit sancitum
*In conventibus Deputatorum Imperij ordinariis numerus ex
utriusq; religionis proceribus æquetur. De personis autem vel
Statibus Imperii adjungendis in Comitijis proximis statuatur.
Artic. V. §. 18.* Huic constitutioni in proximis Comitijis
fuit aliqua ratione satisfactum, uti apparet ex *R. A. zu Re-
genspurg. §. Und dieweil.* Sed nihilominus multæ difficulta-
tes mansère. Cum enim in dicto §. familiæ Altenburgen-
sis & Culmbacensis specialis mentio facta esset, domus Vi-
nariensis & Onolsbacensis plus esse in Recessu quàm in
deliberationibus præmissis dixerunt, seque injuria ab Ordine
Deputatorum excludi conquestæ sunt, quæ acta Con-
ventûs Deputatorum nuper Francofurti habiti satis de-
monstrant. Auctor de Grundfeste *part. 3. c. 6.* Deinde Or-
dines A. C. addicti non solum paritatem in collegio Ele-
ctorali, sed etiam conjunctionem ejusdem Collegij cum
reliquis

reliquis acriter urserunt. Prius quod attinet, ita res fuit
decisa, ut in proximo conventu Francofurtensi tres Ele-
ctores Protestantes alternatim quarta voto gauderent,
sed cum hac cautione ne in ullis Deputatorum conven-
tibus aut Comitij Electoralibus occasione hujus trans-
actionis ullum jus à Protestantibus prætenderetur; uti hoc
expressa Recessus verba innunt. §. den zweyten Punct un-
ser Keyserlichen proposition. Posteriores controversiam
quod refert, licet super ea multum temporis perierit, ta-
men hæcenus nondum fuit decisa. Cui volupe est utrius-
que partis rationes pernoscere, inspiciat & perpendat re-
sponsum collegij Electoralis ad Protestantium argumenta.
Exstat apud Linn. Tom. V. Iur. publ. in Addit. ad libr. p. c. r.
n. 239. Quo ordine in his conventibus omnia fieri sole-
ant, cognosci potest ex Speidel, Spec. verb. Deputations Tag.
LXIII.

Inter Comitua particularia, ad quæ celebranda ex
omnibus Ordinibus nonnulli seliguntur, haut immerito
referuntur conventus Visitatorum Camerae, Visitations-
Tage. Hi conventus constant ex delegatis Cæsaris &
Ordinum, qui Spiram mittuntur, ut Camera Imperia-
lem inspiciant corrigant ac reforment. Ord. Cam. part.
2. Tit. 50. in qua certa ratio visitandi selectis Statuum
præscribitur. Vid. Denais. in Ius Camer. verb. Visitatio §.
322. Leonhard. Schman Diss. ad Ordin Cam th. 22. & seq.
Cumq; hi Visitatores ad cognoscendas Camerae corrupte-
las sint constituti, solent quoque Revisorum vice fungi, si
revisio actorum petita fuit Ord. Cam. p. 3. Tit. 53. Duravit
hæc Camerae visitatio summo reip. nostræ bono per mul-
tos annos: facile enim fieri potest, ut illa quæ sunt optime
instituta corrumpantur, nisi sedula inquisitio accedat.
Sed postquam Anno 1588. visitandi Ordo Archiepisco-
pum

pum Magdeburgensem tetigerat, qui tum erat Joachimus Ernestus Marchio Brandenburgensis Protestantium sacris deditus, Catholici Status *vi des geistlichen vorbehalt* & à voto sessioneque in Comitijis & ab hoc munere illum excluderunt, unde factum est ut revisiones & visitationes non fuerint justo tempore institutæ. Miller. *in Add. ad Diss. A. B. Martin. Rumel. part. 2. diff. 2. thes. 20. lit. A.* Huic malo tandem obviam itum est per Instrumentum pac. In quo omnes Archiepiscopi & Episcopi A. C. ad dicti non tantum ad Comitiam universaliam, sed etiam ad conventus Deputatorum & Visitorum rursus sunt admissi *Art. 5. §. 6.* Deinde in proximis Comitijis satis accuratus modus visitandi Cameram fuit institutus *R. A. zu Regenspurg Anno 1654. §.* *Wie nun die überheufften revisiones.* Quinam Status hodie Visitorum conventibus interesse debeant ex schemate Recessui eidem in calce adjecto cognosci potest.

LXIV.

Atque hætenus egimus de Comitijis particularibus, ad quæ ex omnibus Ordinibus selecti quidam vocantur: sequuntur jam Comitiam illa, ad quæ certæ classis Ordines tantummodo congregantur. Ejusmodi sunt conventus Electorum, qui in duo abeunt genera, alij enim pro eligendo Rege vel Imperatore Romanorum indicuntur, & vulgo *Wahlstage* appellantur: his certa forma à Carolo IV. in *A. B. Artic. 4.* est præscripta. Vid. Onuphr. Panv. *in peculiari libro de Comitijis Imperatoriis.* Rumelin. *ad A. B. part. 1. diff. 3. Lampad. d. 11. part. 3. c. 2.* qui omnia quæ huc spectant, exactè pertractant. Alij pro salute & incolumitate Imperij celebrari solent, & vulgo *Churfürsten oder Collegialstage* nominantur. *A. B. Artic. 12.* In his Electorum conventibus ardua & gravissima Imperij negotia tractari

tractari constat ex fraterna Electorum unione, cujus mentionē facit Goldastus in Politischen Reichshendeln *part. 8. c. 3.* Sunt autem illa duplicis generis: alia primariò concernunt Electores ipsorumque jura, alia Imperium ipsum. Illa cum primis in conventibus Electorum expediuntur, hæc non indistinctim. Sunt enim pleraque negotia, quæ Imperii statum concernunt ita comparata, ut in illis nihil quicquam absque omnium Ordinum consensu statui possit. De his igitur non nisi præconsultationes ab Electoribus institui possunt. Hac de causa cum in Conventu Fuldensi de ejusmodi negotiis ageretur, Electoris Saxoniae legati ita senserunt: *Wie dem Bngarischen wesen Niederlande und Justiz zu helfen: gehöre nicht vor Churfürsten allein / sondern vor das ganze Reich / weil von selben schon auff gemeinen Reichsversamlungen consultirt worden / und abschied gefolgt / und betreffen nicht allein die Churfürsten / sondern auch andere Stände etc.* Lundorp. *Tom 2. Act or. publ. libr. 2. tr. 5. p. 536.*

LXV.

Hi Conventus non omni ex parte nostræ reipubl. formæ sunt contrarii. Cum enim Electores in Imperio aliqua eminentia sint conspicui, non in commode ab illis præconsultationes de iis rebus instituuntur, de quibus postea in Comitibus universalibus reliqui Ordines suo arbitrio statuunt. Vt hujus rei fundamentum plenius appareat, audiamus Aristotelem *l. 4. Pol. c. 15.* ita loquentem. *Hic quærat magnos, hic autem esse parvos eosdem. Nec tamen non proprii etiam quidem sunt; ceu præconsultatorum. Hic enim non est popularis. Consilium autem populare est. Oportet enim esse quiddam hujusmodi, cui cura sit consultare ante populū, ut solutus sit illa cura. Hoc autem, si pauci fuerint numero, dominatui paucorū accommodatum est: præconsultores autem paucos esse multitudine, necesse est.* Tales præconsultationes olim in veteri German. republica

blica obtinuisse Tacitus testatur. Florente etiam regno Francorum nihil ad generale concilium fuit delatum priusquam nonnulli ex Principum & primorum ordine *weßbaldia* *é* *venca* convenissent. Habemus hujus rei omni exceptione majorem testem Hincmarum, qui *d. l. cap. 30. ira differit. Caterum propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantum & principibus consiliariis habebatur: in quo jam futuri anni Status tractari incipiebatur: si forte talia aliqua se præmonstrabant, pro quibus necesse erat præmeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut providere necessitas esset.* Idem etiam in rep. Veneta observare licet. Ibi enim de magnis negotiis solent prius præconsultationes institui in Prægadino vel Collegio Decemvirorum, antequam ad universale collegium referantur, notante Ampliss. Dn. Præside in *descript. Rerum publ. universi orbis.* Electoralium quidem conventuum non est exigua utilitas, sed an non Electores interdum commissæ sibi potestatis limites excedant non est meum definire. Vid. Hippolit. à Lapide *diss. de Ration. Status part. 2. c. 5. sect. 4.* Ultimus talis conventus Anno MDCCCXXX Ratisbonæ fuit celebratus, de quo exstat epistola in Opusculo Epistolarum Christ. Forstneri.

LXVI.

Tandem ad Comiticia particularia referuntur regionum conventus qui sunt Circulorum die *Kraistage*. Hanc Germaniæ nostræ in certas quasdam partes divisionem Maximiliano I debemus. Cum enim gloriosissimus Imperator remp. German. in turbulenta & periculosa tempora incidisse animadverteret & totum Imperii corpus in minutissimas partes abiisse, de eo dividendo in certos districtus cogitavit. Ex quo instituto non vulgaris sed admiranda sane prudentia elucescit; quantæ enim difficultatis est grande
Impe.

Imperii corpus ad civile aliquod regimen suscipiendum aptare & disponere posse? quanti est negotii numerosam hominum multitudinem in officio continere? Arist. *lib 7. Polit. cap. 4.* illum supra conditionem humanam collocat, qui tali prudentiâ instructus est Verba ejus ita habent *Numerus valde exsuperans non potest obtinere ordinē: divina namq; potestatis hoc jam opus est, quæ sane universum hoc continet.* Et licet hæc res sua non careat difficultate, tamē haud injuria forte quis asseruerit, hoc remedio quo Imperator Maximilianus fuit usus, omnia incommoda quæ vasta Imperia secum ferre solent facile posse præcaveri. Dividatur scilicet aliquod regnum in certas quasdam partes, atque in illis singulis magistratus constituentur, qui de iis statuunt, quæ ipsa summa potestas curare nequit. Atque harum partium subdivisio eousque continuetur, donec sufficiat. Hoc si fiat, non est quod ullos tumultus, ullas subditorum seditiones metuamus. Idē conspicitur in exercitu militari qui in legiones dispesci solet, legiones in cohortes, cohortes in centurias & manipulos. Eadē ratione magistratus militares dividuntur: summo Duci exercitus paret Legatus, deinceps sunt Tribuni militum, his subsunt Centuriones, denique sequuntur Decuriones. Rosin. *Antiq. Roman. lib. X. c. 6. & 7.* Hinc fieri videas ut ingens militum copia ad solum unius nutum moveatur ac quilibet id quod sui est officii exactâ diligentia exequatur. Neque hac ratione solum cultus populus, sed etiam maximè barbarus in officio contineri potest. Argumento sint Ingæ Peruvianorum, qui beneficio ejusmodi divisionum populum alias incultum ac horridum felicissimè rexerunt. Ioseph. de Acoſta *lib. 6. histor. Indic. c. 13.*

LXVII.

Divisum autem est Imperium à Maximiliano Anno 1500 in Comitibus Augustanis in sex provincias, seu circulos:

94
714
1784

los: circulum Franconicum, Bavaricum, Svevicum, Rhena-
num, V Vestphalicum & Saxonicum. Hisce postea necessi-
tate publica exigente adhuc quatuor anno 1522 additi
sunt, Austriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus & su-
perior Saxonicus. Qui vero status quibus circulis contine-
antur tradunt Thuanus *libr. 2. Histor. & Martin. Zeiller. in*
Tract. de decem circulis Imp. Roman. German. Negotia de
quibus in his conventibus agitur sunt in duplici differen-
tia, alia sunt ordinaria alia extraordinaria. Negotia ordi-
naria sunt defensio pacis publicæ quæ consistit in compri-
mendis & sedandis motibus & vi publica. Vid. Rec. Imperii
de *Anno 1555, 1559. Ordin. Cam. part. 2. Tit. 15.* Iustitiæ executio,
Rec. Imp. de *anno 1555 & 1566 Ordin. Cam. part. 3. Tit. 48. & seq.*
Cura monetæ publicæ explorandæ, quæ ad conventus Pro-
bationstage dictos, unum primo Maij alterum primo Octo-
bris instituendum pertinent, R. A. zu Speyer / *Anno 1570 §.*
Sintemahl auch zu handthabung / R. A. zu Regenspurg / anno
1570. §. Sehen also demnach und befehlen. Extraordinaria
vero sunt, quando ob præsentem necessitatem Circulis ab
Imperio quid expediendum injungitur Paurmeist. *de Iuris-*
dict. lib. 2. c. 2. ubi de modo & forma, horum conventuum
exactè agit. Et hæc exigua de tam nobili argumento pro-
ratione instituti proposuisse sufficiant. Deo T.

O. M. sit laus & gloria in secula infinita.

F I N I S.

1784

WAT

mentum quidem
ner. in Not. ad li
sane optime per
statim in proæm
verba summo c
divisum desolab
quod Dominus m
pent in meridie s
co suo, ut caci s
bris, offendunt,
nem contingunt

Igitur no
tem promittat
tur. Quod sa
bitror, quam
lutem reipub
berent. Hoc
us O. M. in s
enim, ut Moy
lit. cum conve
geret. Eader
nostros Germ
perii Ordinum
fuit receptur
quæ ad comm
litate[m] spectar

Quamvis
rebus publicis
tamen hodie
apud quos eju

rist. Forst-
seq. Quod
ator, dum
eris digna
in seipsum
i furum, ob
inis, ut pal-
novit de lo-
ant in teneo
in divisio-

anquillita-
iæ metian-
sse disci ar-
quæ ad sa-
bus deli-
slator De-
t. Vult
lum Israë-
negotii a-
ita etiam
nium Im-
emporibus
s omnibus
mperii uti-

multis aliis
obtinuerit;
ri populos,
non sunt in
usu.

